

ARGENTORATI CIↃ IↃC LXXIX.

Sereniſſimæ ac Potentiſſimæ

Suecorum Reginæ

CHRISTINÆ AVGVSTÆ

Vitam, Pacem, Gloriam!

Epiſtola huic hiſtoriæ ab Authore præſcripta cum illam primum Ser. Reginæ offerret.

Sereniſſima Domina:

BEllum, quod Tuis auſpicijs, cum Dano geſtum eſt, merebatur ſane, impenſiorè curâ facundiâque memorari, quam à me factum eſt, aut fieri omnino potuit. Sed commentarios, non iuſti operis hiſtoriam, molito, veniam largiaris, rogo, & qualecunque deuotiſſimi Tibi hominis obſequium, ijs aſpicias

oculis, quibus obſcura etiam illuſtrari & humilia extolli poſſunt. Quibus ſubſidijs inſtructus fuerim, aut caruerim, nihil attinet enumerare. Daturum autem me operam, vt exactius perſcribatur materia huius voluminis, cultuque plane alio conſpiciatur, non longo poſt tempore, auſim polliceri, ſi non aſpernaeris DOMINA. DEVS Te ſeruet, REGINA OPTIMA MAXIMA, AVGVSTISSIMA!

Maieſtati Tuæ

deuotiſſimus ſeruus

J. H. B.

Sere-

Epistola exemplari inscripta quod Regi F.M. ab Authore transmissum est.

Serenissimo Potentissimo
ac Jnuictissimo
Principi ac Domino
DOMINO
CAROLO
GVSTAVO

Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Regi, Magno Principi Finnlandiæ, Duci Esthoniæ, Careliæ, Bremæ, Verdæ, Stetini Pomeraniæ, Cassubiæ, & Vandaliæ, Principi Rugiæ, Domino Jngriæ & Wismariæ, nec non Comiti Palatino Rheni, Bauariæ, Juliaci, Cliuiæ & Montium Duci, &c. &c.

Regi ac Domino meo Clementissimo.

Victoria, salus, perpetua felicitas!

Serenissime ac Potentissime Rex, Rex ac Domine mi Clementissime:

ANni præterierunt nouem, cum me nihil tale

cogitantem, multo minus merentem, bona quædam fortuna nutu Maximæ Reginarum ab extremis Germaniæ finibus in Sueciam tranſtulit. Duo ibi inprimis videre incomparabilia contigit: CHRISTINAM Regnantem, & CAROLVM GVSTAVVM in ſolium Regium aſcitum. Illa, vt bellum Danicum, paucis ante annis geſtum, ſcriberem, ſuppeditatis monumentis mandauit: Tibi SERENISSIME REX, dum bellare cum Danis iterum cogeris, quicquid eſt huius ſcripturæ reuerentiſſime geſtit approbari. Fas ſit, oro quæſoque, adiri tantæ

Maie-

Maieſtatis faſtigium, inter ardua curarum, & immenſa occupationum, quas totus orbis ſuſpicit ac veneratur. Miraculum ſeculi eſt, ille tot hoſtibus ſuſtinendis par animus, illa prudentia pacis juxta bellique negotijs expedita, illa facilis in promptos vſus eloquentia, illud diuinum ingenium, illud ſingulare judicium, illa memoria feliciſſima, qua non dignoſcere tantum, ſed nominatim percenſere tot Tuorum agmina ſoles. Conjunxiſti infinita decora, quæ Paterni Palatinorum *Rheni* ſtemmatis excelſiſſima *nobilitas*, & Regalis *Heroina* Mater Tua natali-

bus Tuis inſeuerunt: Atque vt in Te amando veneran-doque nationum illuſtriſſi-mæ concertarent, in Ger-mania concipi, in Suecia naſci Te fortuna voluit. Acceſſit diſciplina, excitan-dæ ad ſumma indoli vere regiæ vndique accommo-data. Peregrinatio, qualis Heroum fuiſſe antiquitus memoratur, aſſiduo copio-ſoque ſapientiæ ac elegan-tiæ profectu, per omnia, quæ in Dania, Germania, Belgio, Anglia, Gallia, ſciri diſcique merentur. Militiæ magiſtrum nactus Torſtenſonium, inter ipſa rudimenta & tyrocinia, vir-tutis ad maiora natæ, & te-

ſtimo-

ſtimonium à tanto imperatore luculentum meruiſti, & præſagium ingens apud omnes excitaſti. Nihil de Lipſienſi acie, nihil de laboribus illo ipſo bello Danico, quod hoc libello exponitur, toleratis, nihil de alijs rebus, quas ſtrenuè quidem & fortiter, ſed ductu alterius confeciſti, dicam. Maturè enim Te fortuna Tua ad ſummum armorum imperium vocauit. Jam ad Pragam, caput rerum in Bohemia, cum exercitu conſiſtenti, multarum victoriarum fructus ſeſe vltrò offerebant, niſi pacis Germanicæ conſummandæ potior gloria alio

curas Tuas tranſtuliſſet. Mindam ergo profectus, poſtquam Legatos Suedicos ex conſilio Oſnabrugenſi Te præſtolantes admiratione Tuæ prudentiæ impleuiſti, Noribergæ poſtea, in maiore theatro nobiliſſimarum pro pactione pacis adimplenda actionum, maximi ac verè Regii Principis cottidianis documentis ſpectatus & concelebratus es. Scilicet non minus inter Proceres & ciues, quàm in caſtris inter milites, auctoritas Te fati Tui & futuræ magnitudinis genius comitabatur, ac in hominum animos meritorum Tuorum gra-

gratias deliciasque diſſemi-
nabat. Reuectum in Sue-
ciam, quanti Te Regina fa-
ceret, quâ caritate, quo ho-
nore colendum judicaret,
non Holmenſium tantum
decreto Comitiorum, &
ſolenni, quo coronam ſuſ-
cepit feſto, ſucceſſione Hæ-
reditaria Tibi conſtituta ac
promulgata, oſtenſum vo-
luit, ſed ampliſſimis dein-
de ſignificationibus nun-
quam non declarauit. Se-
natus etiam populusque
Suecorum qua gaudiorum
publicorum conſpiratione,
quo concentu applauſu-
que, Reginæ conſilium, &
Tuam dignationem cœlo
tulit? *Jn* quo fortunæ pro-
fectu

fectu, animus Tuus, ad imperandum ille quidem genitus delectusque, non aliam tamen potius, quàm ex obsequij pietate, gloriam, tanquàm omnibus insignibus Regijs insigniorem, expetiuit. Quo Maiestas Regia cultu propitianda, qua fide demerenda esset, non aliâ magis vnquam disciplinâ, quam Tui exempli magisterio, intellectum est; Jbunt in annales Suedicos erudiendis posteris tàm sancta publicæ quietis & concordiæ pignora, quibus ista tempora nihil habuerunt auspicatius ad felicitatem Patriæ. Cui maximum ex multis beneficium diui-

nis

nis obſecuta motibus Chriſtina Regina dedit, cum Te SERENISSIME DOMINE non Principem modo, ſed abdicato poſt hæc ſpontè ſceptro, Regem dedit. Grandi equidem & arduo Regni auctoramento, ſed Heroico. Quis enim vnquam Magnorum Regum, vel ad res ſecuras acceſſit, vel diuturno otio gaudere potuit? Plurimos tamen felicitate in eo ſuperas, REGVM IVSTISSIME, quod non prouocas bella, ſed propulſas; neque aliena jura per ambitionem temerare, ſed Tua, virtute tueri contendis. Sicut enim ab omni ipſe diſſidendi ſtudio,

dio, magnitudine quâdam animi plurimum alienus es; ita in quæ tempora natus ſis, non potes ignorare. Quæ conſilia, quâ officina prodierint, de Suecia primum exarmanda, deinde nouis & longinquis bellis implicanda, adeoque de Germania quoque altero pacis ſuæ fideiuſſore & cuſtode nudandâ, cui denique poteſt obſcurum eſſe? Sed conſtabit DEO ſui conſilij ratio, qui tam vaſtis molitionibus acerrimam mentem Tuam oppoſuit. Nec longè ſunt argumenta diuinæ opis. Compreſſo quippè feliciter motu Bremenſi, qui primordia Imperij

perij Tui laceſſebat, poſtquam Religioni in Suecia ſuum decus, ærario ſuas vires reſtituiſti, tot hoſtium in Te conſpiratas vires, Polonorum, Moſchorum, Danorum, hactenus inuictus non ſuſtines modo, ſed fatigas. Et Poloniam quidem, vt contemto pacis ſtudio, præter violatas non vno nomine inducias, ſceptro Tuo diuinitus firmato litem moueret, atque in ipſa Suecia res nouas moliretur, eadem ſidera concitarunt, quæ hactenus omnem concordiæ curam interuertunt. Quanquam enim is fuerit armorum *Tuorum*, REX INVICTISSIME,

SIME, ſucceſſus, vt duodecie' acies Polonos vinceres, Regemque, qui Te Suecia expellere conſtituerat, regno eiiceres; nunquàm tamen inſtaurandæ Pacis curam omiſiſti, neque tàm vi, quàm clementia, quantum poſſes, teſtatum eſſe voluiſti. Qui in fidem Tuam ſe permiſere Palatinatus nec non Quartiana militia, habebunt in omne æuum, quod de Tuis virtutibus prædicent. quæ profecto Polonorum animos non parum ceperant; niſi quod Religio ipſorum ſacris aliena diſplicebat. Sed Tu quidem, ſeuera diſciplina, & fidis pactionibus

caue-

cauebas ſacris, vti erant: quorum turbatio, cum violatione templorum, non Tuis, ſed ipſis Polonis ferè imputanda eſt. Pontifici tamen & clero pontificio inter ſolitas nec ignotas artes fuit, obtentu diuerſorum ſacrorum animos nationis à Te diuellere, & propoſita Tua criminari. Neque enim vt coronam Regni Polonici Tuo capiti imponeres, quam ne oblatam quidem recepiſti, ſed vt jus Regni Sueciæ, quod ſibi aſſertum ibat Rex Johannes Caſimirus, Tibi Tuæque Domui ſartum tectum conſervares, pia juſtaque arma induiſti. Qui

eam ſibi occaſionem dari
crediderunt, vt velut ex
inſidijs in Te vndiq; coort
omne nomen Suecum in
ordinem redigerent, pacis-
que in Germania tot labo
ribus ac diſcriminibus par-
tæ fructu ſemel deſpolia-
rent, ſatis opinor ſentiunt
tàm bonam cauſam, vir-
tute inuſitata munitam
majore periculo quàm ſpe
oppugnari; neque extem
poranei operis eſſe, genti
exercitæ armis, animo in
uictæ, Regis ſui auſpicio
inſuperabilis, opes conuel
lere. Quanquam autem
REX AVGVSTISSIME
DEI & ſummæ Reipubli
cæ negotium tàm magnif
c

ce hactenus in oculis humani generis geris, vt vigilias, labores, facta Tua, ſummorum omnis æui Imperatorum exemplis nil neceſſe ſit concedere; quanquam militiæ Tuæ decora omnibus gentibus miraculo, hoſtibus ſtupori ſint; illuſtrius tamen & amplius eſt, quod precamur, vt illi forti, illi excelſo, illi in omnia promto animo Tuo, Pacem foris domique & emeruiſſe, & perornaſſe paulo poſt contingat. VIVAT REX MAXIMVS CAROLVS GVSTAVVS & vincat, & longæua Regiæ Domus poſteritate, meritorum laudumque Heroi-

roicarum ſeriem perpetuet! Hæc ſummo pietatis calore precatus, vt genua Tua, REX AC DOMINE CLEMENTISSIME, humillime fas ſit contingere, & ad pedes Regios exiguum hunc libellum deponere, ſupplicat

SACRÆ REGIÆ MAIESTATIS TVÆ

deuotiſſimus ſeruus

J. H. B.

Sacræ

Sacræ Regiæ Maiestatis Regnique Sueciæ Senatori, Cancellario Aulico &c.

Illustrissimo & Excellentissimo Domino,

Litera Authoris ad Illustriß. Biörnclou: fatum institutũq; huius operis explicantes.

DOMINO MATTHIÆ BIÖRNCLOV

Hæreditario in Elmenhoff, Wannestadt & Tislinge &c.

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO.

Illustrissime & Excellentissime Domine, Mœcenas Gratiosissime,

ETiamsi curis Tuis, quas Respublica sibi vindicat, sæpius ob-

ſtrepere priuata clientium deſideria nequaquam debeant, ſperaui tamen fore, vt veniam dares his literis, primum quidem reuerentiam & obſequia Tuis aduerſum me meritis in perpetuum debita profitentibus, votaque pro Tua incolumitate ſuſcipientibus; deinde etiam preces, quarum à Tuo fauore vnice pendet exitus perferentibus. Hiſtoriæ Danicæ tandem publicandæ, vt me deſiderium vehementius incederet, multa & diuerſa, quibus nomen meum lacerari intelligo, conuitia effecerunt. Apud Danos enim rumor diſtulit, me totam illam natio-

tionem, eiusque Regem, grauibus opprobrijs notaſſe in mea hiſtoria. quod cum non dubitarent nonnulli coram mecum quaſi expoſtulare, monſtraui vni alteriue opuſculum, & multa inde prælegi; addens, nihil mihi tale mandatum à Sereniſſima Regina fuiſſe, vt conuitio quemquam, etiam in hoſtium partibus, inceſſerem. Nam in cauſſis belli enarrandis fieri quidem non poſſe, quin alteri parti moleſta accidat narratio; ſed nullam in eo meam inuidiam; & publice hæc pridem dicta ſcriptaque fuiſſe. Longe autem grauius fuit, quod apud Vos quo-

que, me mutatæ, quasi in contrarium Vobisque aduersum habitum historiæ, insimulari cognoscerem. Solatio tamen est, quod caussam dico, apud gnarum totius negotij iudicem. Tu enim, Jlluſtriſſime Domine, *omnia memoriter tenes. Sub discessum è Suecia meum, duo exempla reliqueram: vnum compactum, quod Reginæ obtuli; alterum per partes, vt descriptum erat Magno Cancellario Axelio Oxenstiernæ, tradidi. In priore, obsequendum erat voluntati Regiæ, adornandâ priscum ad morem historiâ: igitur de caus-*

sis

sis belli summatim egeram. quas prolixius, ex editis vtrinque scriptis, exhibitas, alteri exemplari addideram, quando Cancellarius fuse ista narrari voluerat. Tractatum Pacis itidem per summas tantum inserui: quia insperatus discessus me vberiore commentatione excluserat. Sed, cum penes me essent, quæ ad pleniorem descriptionem pertinerent (diligentissime enim enotaueram) statim Germaniæ redditus suppleui totum eum historiæ locum, vtilissimum scilicet, & ceteris omnibus quodammodo præferendum. Ceteras accessiones, luculentas sane,

Tuis

Tuis auſpicijs conſiliisque debeo, Illuſtriſſime Domine. *id quod, abſque mea commemoratione, pulcre Te meminiſſe, opinor. Quare ne ſcribere quidem apologiam incipiam. Vt omnia mihi deſint, candor certe ſupererit: de quo vel Tuum teſtimonium mihi ſufficere poteſt. &c.*

Argentorati 8. Januarÿ 1666.

Illuſtriſſimæ Tuæ Excellentiæ

addictiſſ.

J. H. B.

BELLI SVECO-DANICI Annis CIↃIↃC. XLIII. XLIV. XLV. Gesti HISTORIA.

LIBER PRIMVS.

Initium bellandi de improviso, ex parte Germaniæ à Torstensonio factum, cum serie Germanicarum rerum connectitur. Iter Torstensonij, & primordia Holsaticæ expeditionis. Iudicia de hoc bello, & status rerum in Europa. Caussæ belli accuratius explanatæ. Fœdus Belgicum cum Suecis, qua huc pertinet. Dispositio militiæ Suedicæ in Germania. Torstensonius Holsatiam occupatam ordinat.

A Regis

Regis Daniæ industria in propul-
sando bello. Error & opinio apud
Danos & Norvegos de his armis.
Cæsaris pro Dano curæ. Vicinorum
consilia. Jutia, Ditmarsia, Vensilia
occupantur. Fioniam Rex Daniæ
tutatur. A parte Sueciæ cum præ-
missus esset in Daniam Fecialis, qui
bellum denuntiaret, Gustavus Hor-
nius Scaniam cum exercitu ingre-
ditur, & pleraque occupat. Etiam
ad fines Norvegicos copiæ armato-
rum disponuntur. Danorum in Nor-
vegiâ, & ex eâ conatus. Jemtia in
Succorum ditionem redacta. Regis
Daniæ Gotheburgensis expeditio.
Classis Suedicæ à Lud. Geerio in
Hollandia conductæ adventus, &
post pugnam unam alteramque
regressus: cum seditione, turbæ
nauticæ. Classis major è Sueciâ
præfecto Claudio Flemmingio
Fimbriam occupat, & post acre
cum Rege Daniæ prælium navale
in portu Christianprisiæ obsessa,
feliciter evadit.

Bellum

BEllum quod Sueci, annis præscriptis, cum Danis terrâ marique summâ vi gesserunt; biennio non toto inter maxime memorabilia nostri temporis haberi meruit. Nam & locis peruagatum est amplissime, inde â Germaniâ quidquid Danicæ ditionis litoribus Oceani terminatur, hinc Scaniam, Bleckingiam, Hallandiam, finesque Noruegiæ complexum; infestato mari classibus, tentatis aut captis insulis: & duces habuit celeberrimos, Regem acerrimo animo, virtute militari summâ, cum præcipuis æui bellatoribus commissum: & eventu inprimis admirabile apparuit, postquam duobus grauissimis bellis vno eodemque tempore, opes animosque Suecorum sufficere intellectum est. Ex quo enim suscepta Gustaui magni ductu & auspi-

ciis expeditio Germanica, etiam post fata tanti victoris, adolescenti inter patriæ incrementa Christinæ filiæ crebras pepererat laureas; nihil visum illustrius, quam quod in medio externorum armorum cursu, finitimo certamine exacto, Reginæ tum maxime imperium capessentis primordia, securitas domestica & Danica Pax, non sine omine futurorum exceperunt. Sicut autem summa & ineuitabilis necessitas Suecos ad hæc arma egit, sicut paulo post caussarum series accuratius explananda ostendet: Ita non domi tantum quam minimo motu strepituque omnia apparari, pars consilii fuit; sed foris quoque inchoando bello celeritatem & dissimulationem singularem adhibuit Linnartus Torstensonius, Suedicis in Germaniâ armis summo cum imperio præfectus. ad quem, alijs prorsus consiliis operibusque intentum missus è Suecia Jacobus Törneschildius,

pene-

penetratis post objectas ab hostilibus Cæsareorum copiis moras itineribus, Reginæ mandata attulerat, initio Octobris, anni qui hujus seculi quadragesimus tertius vsurpatur. Jis jubebatur Torstensonius, firmare copiis ac præsidiis loca munita in Silesia, Morauia, & quæ alibi Regis vtilitatibus subleuandis & connectendis inseruirent; disponere statum Pomeraniæ & Westphaliæ; inuigilare & prouidere securitati portuum & maritimæ Pomeraniæ, & huic rei vnum ex præcipuis ducibus cũ idonea equitũ peditumq; manu destinare, qui & alias hosti qua opus, se obijceret, atque his probe constitutis cum majore exercitu sub signis ordinato Holsatiam ingredi, inque ea, qua Danica est, vt & Jutia, statiua militibus partiri. Addebantur, quæ ad demonstrandum consilium de propulsandis bello injurijs Danicis pertinebant: tum quibus in omnes partes erga socios,

amicos, medios, ſuſpectos, officiis, literis, quaque agendi conſuetudine, longius, propius, vti fas eſſet. Quibus cognitis, Torſtenſonius cum ſubinde ex captiuitate Tribunum Gerſtorfium dimitteret, induciarum mentionem apud hoſtem illo interprete cœpit injicere. Verum nullo ad ea relato reſponſo, ordinandis de cetero, ſicut præceptum erat, rebus animum intendit. Quoniam vero ex ipſa Cæſareorum bellorum ſeric, noui & grandis cœpti rationes, fuerunt diſpenſandæ; nõ alienum inſtituto ſuſcepti operis videri poteſt, ſi nos quoque occupatum ordinariis curis ducem per momenta rerum priora, ad id temporis deducamus, quod in Danos ſubito expeditionem ejus deflexit.

1642. Partâ igitur apud Lipſiam anno ſuperiore victoriâ quo minus effuſe Sueci vterentur, hoſtemque ad interiora receptacula perſequeren-

rentur, multitudo vulneratorum co certamine obstitit: summaque ratio, & mox fortuna fuit, Lipsiam a tergo munimentum habere. Hac 1643.
in ditionem redactâ, cum iterum longinquis aduersaretur consilijs hiems, Freibergam obsidere placuit: quæ capta cum Lipsiensibus & Chemnicensibus præsidiarijs, hostilia ad Albim munimenta à Pirna Magdeburgum vsque coërcere potuisset: Sittauiâ & Luccauiâ, ex parte Lusatiæ obuersa, idem præstituris. Repugnarunt Freibergenses summâ ope: donec hostis è statiuis Bohemicis, vbi copias instaurabat, ad obsessam vrbem tam opportune conuolauit, vt ab ipsa apparata oppugnatione, post editam cuniculorum opere ingentem murorum ruinam, Torstensonius reuocaretur. Inde cum nulla pugnandi facultas esset, in Lusatiam, exactoque ibi altero mense, in Bohemiam itum: quo præcesserat hostium exercitus,

Gallaſſio iam rerum ſummam tenente, poſtquam Piccolominium Hiſpanis petentibus Cæſar conceſſerat. Tendebant vltra Albim Cæſariani: citeriora Torſtenſonius, euocatum è Pomerania Stalhanskium, & quaſdam è Sileſia copias expectans, inſidebat: neutra parte ab occupandis, aut muniendis locis opportunis ceſſante. Ceterum capto Melnicco Suecus Albim ponte tranſiuit, præterque caſtra hoſtium, paulo ante Kœnigsgratio Brandiſium translata, cum dimicandi copiam fruſtra feciſſet, Brodam Bohemicam petiit, indeque Morauiam ingreſſus, Olomucium acri obſidione liberatum, inſtructu & copiis ſtudioſiſſime firmauit. Neque hoſtis quamquam ſtatim inſecutus, caſtraque ſemper vicina metatus, prohibere potuit, quo minus vi metuque occuparetur, quidquid fere locorum ſecuritati aut abundantiæ Olomucii profuturum

rum videbatur. Hæc occasio fuit, insistendi præcipuo & perpetuo militiæ Suedicæ consilio, vt translatis in Cæsaris patrimonium armis, officina belli tot cladibus resarciendis hactenus abunde sufficiens imminueretur; & ad pacem amandam argumenta domi hostibus nascerentur. Augebat periculum Transyluanus: quem ex dubio amico apertum fore inimicum, vtprimum Sueticarum opum societas tot occultis pridem literis nuntiisque affectata, è propinquo affulgeret, non immerito Cæsar suspectabat. Igitur consiliis armisque vel ad eiiciendum Torstensonium, vel ad distrahendum, nihil reliqui factum est. Submissa sunt continenter in castra Gallassii supplementa nouorum militum: Cæsarisquoque expeditionem sumturi, primo fama, mox iter Niclasburgense magnam speciem habuit. Et quamuis missus in Silesiam Comes Bu-

chemius, in itinere male multatus vix cum tertia militum parte peruaſerat, conficiebatur tamen illis in locis iuſti inſtar exercitus: quem in Pomeraniam præſidiis Sueticis inſeſſam, aliquid auſurum, facile apparebat. Nam Kœnigsmarckius, apud Saxoniam inferiorem & Weſtphaliam cum delecto milite ad ſubita belli excubare iuſſus, quia ſupplementis è Suecià deſtinatis nondum augeri potuit, vix par futurus diſturbandis hoſtium cœptis credebatur. Quo factum eſt, vt Torſtenſonius retrahendo è Sileſia Buchemio, ad caſtra hoſtium expedito agmine profectus, detrectante alcam prælii Gallaſſio, late ad interiora populationem & terrorem diſpertiret: receptisque quæ Olomucii reliquerat, impedimentis, Brinnam obſidere pararet; ſi forte hoſti omne in cunctatione conſilium ponenti, pugnandi neceſſitas poſſet afferri. Verum cum

nec

nec obsidioni, nec prælio, sed nec statiuis longioribus locus faveret, repetito Olomucio, apud montana Morauiæ tantisper subsistere, hostemque domi continere, Eulenbergâ interim obsessâ subactâque, placuit, donec fortuna morandis nouandisque hominum consiliis intenta, sedem ac rationem belli commutauit. In Silesia ergo totus mensis October reficiendo militi, ordinandisque in posterum rebus, datus est: Pomeraniæ præsertim respectu; in quam transmittere bellum hostis enixissime contendebat. Quippe Cracouius, supremâ apud Cæsareos vigilum præfecturâ auctus, delectas equitum & dimacharum cohortes, ambagioso itinere, per Bohemiam, Lusatiam, Silesiam, finesque Poloniæ raptim egerat, vlteriorem-que Pomeraniam, captis impetu direptisque quæ iniuriæ opportuna, euastauerat. Accurrit quidem propere Kœnigsmarckius, rece-

receptisque locis plerisque, Cracouium vt castris se tueretur apud Belgardum adegerat: sed quin suppetias laturi essent Cæsarei, vt primum Torstensonius digrederetur, dubitari non poterat. Ille igitur nunc citra, nunc vltra Viadrum moras nectens, tandem ad finitima Poloniæ Helmoldo Wrangelio relicto, vt Kœnigsmarckium subsidiariâ ope firmaret, si quid illâ moueretur, Glogouiam, reuertit: famaque & paratu speciem præbuit, moturi, si res exigeret, in Pomeraniam, cui minus iam timebatur: quippe in qua hoc tempore totis viribus bellum gerere hostis non nisi malo suo poterat. Sed nouam paulo-que ante in Suecià præceptam expeditionem molienti, inter artes erat, tum hac simulatione, tum insecutâ tortuosi itineris ambage, veteres nouosque hostes in errorem ducere. Gallassius vtique & Götzius statim Cracouium monuere,

nuere, vt si imparem se Torstensonio sustinendo iudicaret, per fines Polonicos Vratislauiam incolumes reduceret copias. Jnterceptæ sunt literæ hæc mandata ferentes: Suecoque occasionem præbuerunt, Palatinum Posnaniensem de pactis induciarum appellandi, postulandique ne alterâ vice hosti Suecorum transitum per limites suos Poloni concederent. Sed Cracouius alio nuntio de voluntate Cæsaris certior redditus, castris munitissimis tacitâ fugâ elapsus, quâ dictum est viâ, per fines Poloniæ, turmas plerasque seruauit. Kœnigsmarckium, quo minus eos assequeretur, recisi passim à fugientibus pontes; & mox illis refectis, reuerentia fœderum cum Polonis, morabantur. Torstensonius interea superato Glogouiæ Viadro, Lusatiam, inde Saxoniam ingressus, denique credebatur ponte nauali, quem apud Torgauiam fecerat, Albim transiturus: præ-

præsertim, postquam id facere jussus Kœnigsmarckius, qui paulo ante cum suis turmis, ad exercitum reuerterat, veluti præmitti visus est. Varia hinc de hibernis eius fama: ad quam hostis quoque se circumegit, nequicquam occupaturus iter, quod Torstensonius simulauerat. Js enim, præteritâ Viteberga, cum Cosuicum in fronte Anhaltini agri positum petisset, iterumque dehinc imaginem præbuisset Albim transituri, repente Seruestam conuersus, per Magdeburgensem tractum, Hauelbergam iter intendit.
1. Dec. Huc antequam perueniret, conuocatis copiarum ducibus præfectisque gratias egit ob strenuam fidelemque operam, cuius se testem professus, nihil magis in votis habere confirmauit, quam vt fortissimæ legiones post assiduos itinerum, castrorum pugnarumque labores, aliquo tam exercitæ militiæ solatio præmioque re-

fice-

ficientur. neque enim spei fructum longe abesse. interim reipublicæ & instantibus curis seruiendum. in hiberna & Holsatiam absque tormentorum apparatu ire, non esse imperatorium: neque equos subito parari posse, nisi amputatis, quæ relinqui possent, ipsi equorum sarcinas portantium, viribus, subleuare rem tormentariam, quæ castrensis verè supellex sit, aggrediantur. Simul his, obligauit fidem suam, recepturos, quæ quisque nunc amitteret. Reticuit de offensis Dani, nouique belli consiliis. Illi extemplo inter se collocuti, quingentos amplius de suis equos, magna alacritate tormentis destinant, vehiculorumque ac sarcinarum superflua igni absumunt. Transmisso deinde apud Hauelbergam flumine, cuius nomen oppidum quod dixi, participat, cetera festinantur. dispertitoque in tres cuneos agmine, partem equo-

equeſtrium copiarum, aſſumtis ſclopetariis maioribus equo vehentibus, Pritzualdiam verſus, Torſtenſonius ipſe ducit: cum parte alterâ Witebergius Perlebergam contendit: Carolus Guſtauus Wrangelius cum peditatu, quanta poſſet itineris induſtriâ ſequi iubetur. Convenere qui præceſſerant, equites ac delecta peditum manus Raceburgi, Polaborum veterum patria: occupandæque Holſatiæ initium poſtridie fecerunt ab Oldesloâ inter Hamburgum & Lubecam ſitâ. Unde Sebergam (Aelberaga olim fuit) & poſt tertium diem Chilonium peruentum eſt. Hanc enim vrbem, fidei & mercimoniorum ſedem, anniuerſario nobilium congreſſu celebrem, portuque præclaro opportunam, principio ſtatim in poteſtate habere, inter conſilia præſidiaque belli fuit. Et iam Mortaignius ſex cohortium manu Pinnebergenſem agrum in ditionem redegerat.

11. Dec.
12. Dec.
14. Dec.
12. Dec.

degerat. Jta momento temporis excutitur altâ pace, ac improuiſo belli tumultu trepidat omnis Holſatia. pro ſe quisque feſtinare, cariſſima rerum in vrbes vicinas arcesque munitas aſportare: multi fugere, plures ex fugâ reprehendi, aut inundantibus late copiis præoccupari. Neque mora interpoſita eſt, quin tumultuoſiſſimo nuntio ipſius Regis Daniæ aures verberarentur: rapiente hunc laborem Segebergenſis arcis præfecto, qui haud ſatis diligenti cuſtodiâ aſſeruatus erat. Non parum autem mitigauit oppreſſorum calamitatem, ratio & humanitas Ducis: qui non niſi repugnantibus nocere doctus, recreando militi ex bello Germanico huc diuertiſſe, atque ſecuritatis non poſſeſſionis cauſſa obtinere, quæ occuparentur, videri volebat. Jd quod etiam Mareſcallo Regni Daniæ, cauſſam armati ingreſſus per literas requirenti, interpoſita

posita mora rebus præsentibus opportuna, respondendum duxit. Satis autem constat luculentas nobilium opes, Lubecensium vehiculis mercibusque permixtas, dum exactius inquirendi cura consulto remittitur, Chilonio dimissas esse. Hoc itaque Danici belli principium, sicuti sine vulnere, & sanguine adversus imparatos prouenerat, ita humanioris tituli velamento conuestiri facile potuit: cum præsertim non paci minus quam bello paratum animum sibi retinendum Sueci statuissent, si vel tum exscindere belli causas Dani properarent. Ceterum tam repentina rerum commutatio, propemodum Europæ totius consilia iudiciaque commouit. Perturbatis enim apud plerasque nationes rebus, dissidiisque passim feruentibus, non nisi magnis motibus accipitur, quicquid nouum emergit. Gallos à multo jam tempore reipublicæ tractandæ ratio, opi-

bus

bus libertati Europæi orbis imminentibus oppoſuerat. Jn eo certamine, per varia rerum diſcrimina, ſatis animaduertit Gallia, nec belli ſucceſſu, nec pacis ſecuritate ſuſtentari ſatis aut firmari ſuum ſtatum, niſi amicorum virtutem ac fidem, in eaſdem ſpes metusque arctius conſociaret. cum ergo quantum in fœdere Sucdico præſidii collocatum eſſet, non paucis aut leuibus ex præterito documentis meminiſſet, neque ſegni prudentia in futurum ratiocinaretur; ad famam hujus belli non modice perculſa, querelas ac obteſtationes miſcuit, de communibus propoſitis, quæ tempore maxime alieno debilitari aut rumpi videbantur. Auxit hunc dolorem, quod inconſciis inconſultisque Fœderatis rem tantam ſuſcipi, deuolutaque in ipſorum humeros præcipui oneris mole, fortunam partium in diſcrimen mitti, ani-

mo haud ſatis æquo ferendum iudicabant, qui ſua tantum cogitant, dum de alienis deliberant. Propior periculo Princeps Caſſellana, virili conſtantia, conſilio, fide, præcipuum decus adepta, non diſſimiles ob cauſſas, animi angebatur. Belgici Ordines, quorum & res vt cum maxime agebatur, & fides obſtricta erat, ſicut Fœderis leges paulo poſt circa cauſſas belli commemorandæ oſtendere poſſunt, quo animorum habitu ſe his negotiis adhibuerint, in loco cognoſcetur. Britannia, magnum olim librandis noſtri orbis rebus momentum facere ſolita, nunc inter domeſticorum armorum tumultus, externa contrariis quidem ſtudiis, ſed vt extra ſui temporis & operis rationes poſita, reſpiciebat. niſi quod altera factio Danum premi, altera valere, ſuæ ſpei tutius exiſtimabant. Hiſpani, quod caſus obtuliſſet in ſapientiam verſuri, multa

ta Gallis mala & ominabantur & meditabantur. Lusitani firmandæ cum Suecis amicitiæ intenti, non tam iudicium suum proferebant, quam curas occultabant. Quorum Legatus scriptis ad Torstensonium Hamburgo (20. Decembr.) & Wismaria (29. Decembr.) literis præter officia, pecuniam offerebat. In Germania Suecorum hostes, distractos illorum vires, bellique partem in alias sedes translatam, Regemque Daniæ cautiora hactenus secutum, nunc vel inuitum in partibus fore, occulti lætabantur: palam occasionem nacti, probra in nomen Suedicum iaciendi, & quicquid fortibus felicibusque armis obiectari solet, ingeminandi. Quibus præcipua rerum ad quæstum diriguntur, sicut à suis rationibus alienum nunquam putauerunt, si Danis, quos impensosius acerbiusque vectigaliaexigere crebro querebantur, ali-

quando vi munita contradictio opponeretur; ita amori præsentis lucri inuidiam paulatim posthabere, neque probare videbantur arma, quæ ex tam inopinato mercimoniis emundis vendundisque interceſſerant. Reipublicæ ſtudioſos altius perculit, quod ſpecioſi totiensque liberandæ Germaniæ titulo præſcripti operis contextus ſolui videbatur, pacisq; ſpem auidioribus paſſim animis hauſtam, poſtquam Legati componendis rebus Germanicis Monaſterii & Oſnabrugæ iam conuenire cœperant, verſis repente in pacis conciliatorem armis, plerique deſperauerant. Et iam inter diuerſa Suecis timentium aut obtrectantium ſtudia, euentum rei arduæ ac præcipitis, fœcundus præſagiis rumor varie figurabat. Aluerunt hos animorum motus querelæ Danorum, latè & cito
30. *Ian.* 1644. diſperſæ, ac ſubinde libello publicatæ in hanc ſententiam: Sue-

cos

cos iniuſtum, minimeque neceſſarium bellum, rebus necdum repetitis, contra leges patrias, quibus mutuæ neceſſitudinis inter vtrumque populum conſeruandæ ſarciendæque formula continetur, Regi tot nominibus coniuncto, eo ipſo tempore intuliſſe, quo Suecorum bello in Germaniâ componendo præcipuam is impenſamque operam nauaſſet. Hæc accenſa verbis ad inuidiam & miſerationem compoſitis, auxerunt apud homines deſiderium cognoſcendi, quænam res gentem graui bello implicitam, nouæ moli humeros ſubiicere adegiſſet. Nam ea, quibus Sueci ius & neceſſitatem noui belli declarauerant, licet prius exarata, ſerius tamen vulgo innotuêre. Certatum dehinc inter arma mutuis reſponſis; iteratâque non ſemel ſcripturâ diſceptata lis eſt. Cuius ordo quibus momentis conſertus ſit, in quantum hiſtoriæ modus patitur, mihi 16. Ianii

quoque exequendum arbitror. Nam cauſſas rerum, quæ geruntur, fingere, ut præſens mouit affectio, aut per ignorantiam negotii ſuis propoſitis omnia & opinionibus accommodare, aut ſtudio partium jure acta dicere vel iniuriâ, quæ inuiſus dilectusue egit; ſicut uſitatum, ita rebus intricandis potius, quam explicandis idoneum eſt. Neque ſatis ſuæ exiſtimationi conſuluerit, qui ſolitis inter accolas odiis, aut inſita quadam bellandi cupiditate actos Suecos ad temerarium bellum procurriſſe, temere pronuntiauerit. Laceſſentibus enim undiquaque cauſſis, impoſita certandi neceſſitas, ubi nulla in jure & pactis ſpes relinquitur, plena iuſtitia eſt. Sed & illi, qui differri in aptiora tempora, quamuis iuſtum diſſidium, merito & cordate optabant, ſatis intelligent, neceſſitatem, quæ raro permittit occaſiones eligere, ante ratio-

nonem esse. Querebantur sane Sueci pridem, nullam Danis reuerentiam fœderum initorum obstitisse, quo minus, ruptis humani iuris vinculis, insitum odium, & infestum in hanc gentem animum quauis occasione explerent: idque tum aliunde demonstrari posse credebant, tum propioris æui documenta maxima, à trigesimo amplius anno, non quidem ut caussam hujus belli, sed quo prioribus recentia hæc comparararentur & opponerentur, repetebant. Rex enim Daniæ Christianus IV, vt Carolo IX. Suecorum Regi bellum inferret, nullamque pactionem, quamuis sæpius oblatam, admitteret, has fere interposuerat caussas: quod commercia in mari Balthico tam Danis quam alijs, interdicto Rigensis & Curlandicæ nauigationis præciderentur; quod ius Regium Dano in Lapmarckia Noruegiæ nomine competens Sueci vsur-

pando attrectarent. quanquam in Rigenſes quidem & Curlandos, tum Suecorum hoſtes, nec renitente Dano, & pacto Stetinenſi, ne retineretur, obligato, iſtud interdictum non iniuria factum erat: & in cauſſa Finnorum maritimorum Lapponiæ, iure ſuo non Succi minus, quam Dani inſiſtere poterant, ex ſententia Flackeſebacenſi, donec iudicio arbitri, & viâ fœderibus deſcripta, aliter ſtatueretur. Fruſtra, vt id fieret, petitum: remiſſis primo ex Dania ad Senatores & Ordines Regni Suedici, præterito Rege, patentibus literis, imperioſe tolli iſta iubentibus; tum Suecis, qui Holmia Calmarniam progreſſi, quo minus Wiſmariæ apud arbitrum & Danos ſtatim præſto eſſent, vento detinebantur, non expectatis. Jta, ne reſponſo quidem dato, ad Regis Caroli IX. literas, quibus Regem & Senatum Daniæ de iniquitate rei, & defi-

mens. Octobr. 1610.

nien-

niendis iuxta pacta controuerſijs monuerat, ad arma procurſum eſt: dum Rex Daniæ, Ruſſicó Polonicoque bello implicitos Sueces, & ætatem Regis Caroli ingraueſcentem, adeoque iniurijs opportunam ſpeculatus erat. Id bellum, quod Rex decedens Filio Guſtauo Adolpho unâ cum Regno reliquerat, interuentu & opera Jacobi Magnæ Britanniæ Regis compoſitum eſt: ſopitis præter cæteras, etiam quatuor illis, quas ad iudicium arbitri ſententia Flackeſebacenſis diſtulerat, controuerſijs. Non diutius quam ad annum huius ſeculi XVIII. duraverat amicitia, cum Danus paulo ante diem reſtituendæ Suecis arci Elffsborgenſi dictum, Fridericum Grubbium cum quibusdam querelis miſit, eo potiſſimum nomine tum motis procul dubio, vt, ſi vel minimum quidpiam in redemptione illa deſideraretur, exaggeratæ, prætextum retinendæ arcis

mi. Ian. 1613.

arcis darent. Verum, impletis omnibus, querelæ obliuioni, non
1622. vltra quartum tamen annum, traditæ, occupata à Suecis Riga, per internuntium Danicum Petrum Galtium vehementer inſtaurari cœptæ ſunt. Mota tum lite de immunitate vectigalis, Danus in tantum ſuorum ciuium in Suecia immunitatem extendebat, vt Regi Sueco ademptam cuperet facultatem, imperandi Suecis etiam volentibus tributa, ex vſu & neceſſitate Reipublicæ; niſi exceptis mercibus, quas Dani à Suecis emerent. Pugnabat hoc cum maieſtate Regis & Regni, neque concedi poterat ſine pernicie publica, & periculo exempli: cum præſertim pactis Regnorum, nihil aliud quam immunitas mercibus Danicis in Suecia, & Suedicis in Dania, Noruegia, Oreſunda attribueretur. Cum Rex Guſtauus Adolphus, ne lites iſtæ inter Regna hæc conſererentur,

peti-

petiiſſet, Danus, neque vlteriore transactione, neque iudicio tentato (quod pactis Regnorum „præcipitur;) reſcripſit: certum 1622.
„ſibi de nauibus & mercibus Sue- 20. Aug.
„dicis vectigalia exigere, donec „moleſtiæ ciuibus ſuis in Suecia „oblatæ omitterentur. Verborum minas res ipſa comprobauit, exactis toto anno vectigalibus: cum interim Guſtauus Adolphus, inſuetus alias tam imperioſe tractari, neque parum dolens mandata ſibi & repreſſalias à vicino tot nominibus coniuncto intentari, conditiones tamen æquiſſimas, & ſupra quam exigi poterat, temperatas patientiſſime offerret, & ex formula pactorum componi, legatis utrimque miſſis, diſſidia, poſtularet. Verum, vt vidit, nihil patientia & æquitate profici, arma aduerſus Danum ſumere, quamuis graui Polonico bello irretitus, decreuit. Tum demum 1624.
Rex Daniæ literis ſcriptis, nego- 24. Apr.
tia-

1625. Gustauo Adolpho, Danus paulo post in bellum cum Cæsare incidit, cum se ducem & defensorem circuli Saxonici inferioris ferret: euentu non alio, quam vt post prælium Luterense, amissamque Holsatiam & Jutiam, pace Lubecensi sibi consulere contentus, sociorum & amicorum iura & commoda dimitteret, atque maritima Pomeraniæ & Megapolin Cæsaris arbitio armisque, non sine graui incommodo Borealium horumce Regnorum relinqueret. Quibus in rebus, quanquam de mente Dani aduersus Suecos non obscura fuerit coniectura, Gustauus tamen Adolphus non dubitauit lapsam eo tempore Regis Christiani auctoritatem restituere; neque fœdus abnuit, quod metu & conscientia priorum consiliorum peti, præclare intelligebat; haud immemor, secum olim ad hanc formam minime actum esse. Quam

grate

grate habuerit ista amicitiæ officia Danus, vel inde liquet, quod missi ad Lubecensem pacificationem à Rege Gustauo Adolpho Legati, qui de communibus commodis, tum de caussa Stralsundica, quam tuendam anno superiore vterque Regum susceperat, denique de subnatis cum Cæsare controuersijs agerent, instigantibus, vt postea patuit, Danis, non admissi sunt. Ab ipsa vero pace Lubecensi, solitæ in Suecos Danorum iniuriæ, nouam seriem orsæ sunt. Desertâ primo, mox in Cæsaris manu relictâ cum suis portubus Pomeraniâ, Stralesundâ cum Suedico præsidio destitutâ, ne ferendæ quidem opis facultatem Succis in expedito esse patiebatur posita à Danis ad ostium Penæ fluuij, infra insulam Ruden, citra omnem iuris speciem, nauis galeata; quæ venientes & egredientes merces vectigales faciens, cum nauigantibus ipsis initio par-

ceret, neque interiorem negotiationum cursum attrectaret, mox atroces injurias cumulare ausa, aliquando in nauem Suedicam puluere bellico & instrumento militari oneratam displodere non dubitauit. Toleratum id Suecis & Duci Pomeraniæ (qui nequicquam tolli nouum onus postulauerat) ne Cæsar quidem vel potuit, vel voluit emendare. Consecutum est, vt Megapolitani Duces, propinquitate Sueco juncti, cum Danus eos destituisset, auita ditione pellerentur, terrâ omni cum portubus Fridlandio traditis: Pomerania nullius culpæ comperta, sola inuitante portuum commoditate, exercitu occuparetur: piratica aduersus Suecos institueretur. Quibus, aliisque de caussis, bello cum Cæsare gerendo implicitũ Regem Gustauum Adolphum, Danus ex omni occasione cum hoste colludens, ne suorum quidem commodorum respectu,

impe-

impedire deſtitit. Ceſſerat & Ipſe & Filius omni iure Archiepiſcopatus Bremenſis: ſed à Cæſare tamen, cum aduerſus Suecos tueri nequiret, vltro ſe paſſi ſunt implicari, vt Friburgum reciperent. nam quo minus Stadam, vt conuenerat, inſiderent, poſtquam Papenhemius præſidium Cæſaris eduxerat, ſucceſſus Ducis Johannis Friderici Adminiſtratoris, qui Suecorum auxilio Danos Friburgenſi munimento excuſſerat, obſtitit. Glückſtadienſes, tum alia incommoda ſæpius obtulerunt, tum anno CIↃIↃCXXXII. nauem Suedicam tormentorum ictibus merſerunt, fortuitum eum caſum poſtea cauſſati. Apud idem Caſtellum Glückſtadienſe, nouum vectigal exigendi licentiam, per cauſſam retorſionis in Hamburgenſes, re vera aduerſus omnes Albi commeantes, à Cæſare, conſuentibus partim Electoribus, hac lege impetrauit, vt Cæſari

omni modo ſuffragaretur, & con-
tra Suecos auxilio eſſet, ſi nego-
tiatio pacis minus ſuccederet. ſub
perſona enim pacificatoris hæc
talia Danum agitaſſe, ex ſecretio-
ribus commercijs documentisque
abunde cognitum eſt. Neque
quisquam rerum publice geſta-
rum haud imperitus ignorat,
quemadmodum, non tantum
ſuperſtite Guſtauo Adolpho, ſed
vel maxime poſt mortem eius
Regno Sueciæ aduerſa ſtruxerit
apud Electores, Principes, Ciuita-
tes Imperij Germanici, aliosque
extra id conſtitutos. Ita CIↃIↃC-
XXXIII. anno, miſſis in Sileſiam
legatis, eo ad pacem tractandam
Cancellarium Oxenſtiernam in-
uitauit: cum nihil niſi occaſio
captaretur Suecis obtrectandi;
præſertim apud imperitiores, qui
pacem cœco impetu cupiebant.
nam & literæ ſecuritatis à Cæſare
impetratæ, ſolos fœderis Lipſien-
ſis ſocios nominabant; & præ-
ter

ter manifestam rei indignitatem, neminem latere poterat, negotium tanti momenti, in quo totius Europæ commoda verterentur, neque Regni Suedici, neque Fœderatorum nomine, citra præuiam conuentionem suscipi posse. Post infortunium Nordlingense, pacemque Pirnæ & Pragæ fabricatam, erupit amplius iniqua voluntas. quamuis enim summa communis boni ratio & domestica salus Regem Daniæ monere debebat, vt procumbentis libertatis curam ageret, prævaluit tamen in Suecos odium: quibus vt ægre fieret, omnia pæne afflixit, nisi DEVS causam meliorem sustinuisset. Etenim Ordines Germaniæ, modo apertâ viâ, modo per obliquum à Suecis diuellere studuit: consilia Suecis nocitura vel suggessit, vel fouit: atque sub imagine amici ac sequestris, vnice semper conatus est, arma Suecorum infirmare, occasiones

& commoda interuertere, cauſ-
ſamque totam difficultatibus in-
tricare. Exemto rebus humanis
Adminiſtratore Bremenſi Duce
Johanne Friderico ſub finem an-
ni ɔɔɔɔcxxxiv. Rex Daniæ cum
Ordinibus Archiepiſcopatus, de
Duce Friderico Filio ſuo, inſalu-
tatâ Suecorum Reginâ tranſegit;
quanquam non ignoraret, Archi-
epiſcopatum armis Suedicis, eie-
cto per Regem Guſtauum Adol-
phum hoſte, occupatum, præſi-
diis firmatum, & in id temporis
optimo iure poſſeſſum: niſi quod
reditibus & iurisdictione Admini-
ſtrator, Regis Suecorum auuncu-
lus, ſub patrocinio Regni Suedi-
ci, ſaluaq; eius ditione, fruebatur.
Hoc facto, neceſſe fuit, Suecorum
arma per Germaniam infirmari
lineam communicationis in mar
occiduo è Suecia, Anglia, Sco-
tia, Gallia, Belgio, corrumpi; ap-
pulſum & ſubuectionem militum
armorum, inſtrumenti bellici
præ

præcidi atque intercipi. Regina, quæ non inuita, recte atque ordine petitum Duci Friderico Archiepiſcopatum dediſſet, abunde intellexit, quid damni, ludibrii, indignitatis pateretur à Principe conſanguineo & vicino, ad quem Germanicæ cauſſæ propoſitum non parum pertinebat. Spreuit tamen contumeliam ſibi factam, præfectosque ſuos conniuere, & præſidia Stadâ atque Boxtehudâ educere iuſſit; conceſſo inſuper Epiſcopatu Verdenſi, & immunitate tributorum ac ſtatiuorum vtrobique indulta. Atque ita ſuæ militiæ vſum & commoda honori Regis Dani & Filij eius, in terris Sueca vi ſumtuque partis poſthabuit: cum priori Adminiſtratori, quanquam arctiori cognatione & beneuolentiâ coniuncto tantum non fuiſſet indultum. Iterum autem loco referendæ gratiæ, paulo poſt copijs Suedicis ſubtrahebantur tributa, quæ Comitatus Pin-

nebergenſis, bona cum pace Comitis Schauenburgici, perſoluerat, ab eo tempore, quo Rex Guſtauus Adolphus hoſtes expuliſſet. Neque de poſſeſſione Comitatus illius, poſt exceſſum Comitis nunc quæritur: ſed quo jure amicus amicum inſalutatum, eiicere potuerit ſuis juribus, dum adhuc arma inter Suecos & Cæſarem vigebant, & pars vtraque, oppreſſione inimicorum, & auxilio amicorum ſe firmabat. Jactabatur etiam ſubinde aliquid juris affectati in Halberſtadienſem Epiſcopatum, & quaſdam in agro Luneburgico præfecturas: nulla ſane ſpe conſequendi à Cæſare & iuſto domino id, quo ſemel ſe Danus abdicauerat, ſed vt ex occaſione Suecorum commoda turbaret, periculoque & impenſis, quin etiam ingratijs & ludibrio eorum, reciperet perdita, ſicut in cauſſa Bremenſi & Verdenſi videre licet. Quo tempore Galaſſius

laſſius agrum Megapolitanum, excepta Wiſmaria cum appoſito munimento, occuparat, anno autem ɔɔɔɔcxxxviii. etiam Warnemundenſem munitionem ceperat, Rex Daniæ naues bellicas miſit, juſſas adoriri Suecos, ſi vectigal ab egredientibus & ingredientibus acciperent: quanquam inter Guſtauum Adolphū Regem, & Duces Megapolitanos res tranſacta, & aliquot annorum uſu, propter opem belli Germanici, firmata, ad Daniam nullo modo ſpectaret. Regina tamen, ne quid oriretur inde turbæ, abſtinere ſuos vectigali capiendo juſſit. Reiecto poſtea trans Albim Cæſareo exercitu, qui in Pomerania & Megapolitano agro, per hyemem & inſecutam totam æſtatem caſtra Suecorum caſtris oppoſuerat, Banerius munitionem Warnemundenſem, adhuc hoſtili præſidio inſeſſam, Wrangelio ſummo vigilum præfecto oppugnandam dedit. Prope deditionem

nem reserat, cum ad alia digressus ille, ubi mox reuertisset, reperit interea Cæsareum præsidium à Nauarchis Danicis in Holsatiam & ad suos asportatum; nec minus adiutos Rostochienses in auferendis tormentis & apparatu bellico, disiiciendisq; operibus. Ut ergo, re nondum perfecta, Cæsareos & Rostochienses interturbare aggressus est, jactæ è nauibus Danicis pilæ glandesque, aliquot milites eius interemerunt: neque dubium habebatur, quin reparationem munimenti etiam deinde impediissent Dani, nisi hyems & aliæ fortassis caussæ intercessissent. Consimili importunitate, Præfectus Danicus sub Insula Ruden, Wolgasticnsi præsidio à Suecis obsesso, non destitit, quamuis monitus, annonam subuehere. qui cum ad hunc modum Suecorum amicitia, haud dubie domo jussus abuteretur, obsidionem in longius trahi necesse fuit.

Quid

Quid consiliorum, Arnhemius & Franciscus Lauenburgicus in Regem & Reginam Succiæ fabricati sint, non incompertum est, & fortasse amplius innotescet. In eo negocio, non postremus Dano locus, qui auctores fouit, partemque operis, si destinata prouenirent, ipse sumsit. neque, vero adhucdum deteguntur consilia diuinitus oppressa: illud vnum intelligi datur, in omnibus regno Suecorum aduersis, aliquas Dani partes fuisse. Neque præteriri debet, quod Rex Daniæ, ex quo emersit bello Germanico, defensionem & patrocinium Circuli Saxonici Inferioris, vt olim contra Cæsarem, ita deinde contra Suecos, affectauit: non, quasi quicquam eiusmodi, *in tali* rerum statu, secundum leges Imperij & Circulorum institui posset; sed vt Ordinum erga Regem Succiæ beneuolentia & reuerentia turbaretur, & arma

eius

cius infirmarentur; parata exinde diſſidiorum occaſione, & loco exercitibus vsque ad reconciliatam pacem ſuſtinendis adempto. Poſſet etiam attingi, quo aſtu Wiſmaria alijsque locis munitis in agro Megapolitano, præſidia Suedica excutere, ſua ingerere molitus ſit Danus; tum quæ conſuluerit ac obtulerit nonnullis Electoribus ac Principibus Jmperii: ſed ſuo tempori iſta reſeruantur. Jn pacificationis negotio, inde ab initio belli videri voluit occupatus. Sed miſſis Dantiſcũ Legatis eius anno CIↃIↃCXXX, perſuaderi non potuit, vt vel ſemel cum Suecis Elbingæ, aut loco medio congrederentur, quod officium ſequeſtris poſtulabat. Sileſiacum congreſſum, de quo ante, cum nihil aliud quam Fœderatos à Suecis diuellere, ſicut ab Electore Saxone initium factum eſt, Cæſar ſtuderet, non eſt mirum, ſucceſſu caruiſſe.

Com-

Commutatis dehinc plurimum pace Pragenſi rationibus belli, Suecos non à Cæſare tantum, ſed à Saxone etiam alijsque hoſtes judicatos, Rex Galliæ graues ob cauſſas arctiori ſociandorum armorum neceſſitudine ſibi adiunxit. Sicut autem inter Suecos Gallosque, alii agendum negotium ſuſceperant; ita inter Cæſarem & Suecos Danus ſemper operam obtulit ſuam, non ingratam tum Suecis, ſperantibus publicas communis boni rationes priuatis odiis interceſſuras. Sed de partium ſtudio abunde teſtantur negotiationes præuiæ, Danicæ legationes in Sueciam & in aulam Cæſaris factæ, literæ ad Electores & Collegialem, quem vocant, conuentum Noribergæ inſtitutum; aliæ item legationes literæque ad alios: nec minus ea, quæ inde conſecuta ſunt. Semper Suecorum cauſſa damnata, ſemper aduerſariorum rationes pro-

probatæ, consilia laudata sunt; non sine adiectis interdum minis in Suecos & inimicitiarum denunciatione. Præcipue autem fœdus Sueco-Gallicum, anno CIↃIↃCXXXVII. arctioribus vinculis instauratum, impedire, & postquam coiuit, rumpere studuit Danus: semper vrgens, vt cum Cæsare seorsim, excluſa Gallia, Suecis paciscerentur. Multo labore declinandus hic dolus erat, ad quem instruendum non Cæsarei magis, quam Dani contendebant, excitandæ Gallorum in Suecos suspicioni & æmulationi. Cum in negotiatione prætia mentio fieret Ordinum Belgicorum, qui Galliæ fœderati erant, postulaturque, vt ratio eorum haberetur, qui communem semper causſam fouissent, male acceptum est à Danis, & co tractum, quasi moræ paci de industria iniicerentur. Ante biennium & amplius præuia negotiatio, actoribus Saluio, Comi-

Comite de Auaux, & Conrado Lützouio, ita terminata est, vt dies conuentus diceretur xv. Martij CIↃIↃCXLII. Hanc licet Cæsarei non obirent, sed vltro differrent, Lützouium mandata transgressum caussati, locoque promissæ ratihabitionis Cæsar nihil nisi literas ad Regem Daniæ mitteret, quibus conuenta improbabat, aliasque conditiones pacis proponebat; Rex Daniæ tamen culpam moræ & impedimenti Suecis potius, quam Cæsari tribuit, nec promouit rem, sicut spoponderat, sed extraxit. Hunc in modum Suecis bellum Germanicum aggrauare Danus studuit. Neque minus interim domi incrementa Sueciæ turbari, pacta, consuetudines, necessitudines mutuæ, paulatim eludi cœpere. Perturbatio totius Europæ, vicinusque orbis & in eo Sueci bellis implicati, spem fecerant, nunc potissimum amplificari opes

Dani-

Danicas posse. Igitur, quod olim tentatum, sed aduersus serio resistentes omissum fuerat, jam occupatis alibi nationibus, Suecis etiam per conquisitiones militum nouo scrupulo iniecto, in omnes ex mari Balthico in occiduum nauigantes vectigal intendit Danus, nec duplicatum modo, sed in nonnullis mercibus triplicatum, aut quadruplicatum, in quibusdam, ligneis præsertim, dimidium pretij exegit: quinimo pro centenario nitri, XIV. numos vnciales vectigalis nomine, postulatos constat, cum sedecim, non amplius væniret. Coorta de vectigali Polonico disputatione, quanquam nulla cum ea gente inimicitia erat, naues quædam Polonicæ nauali Dantiscano abductæ sunt; omnium quoque nauium & mercium Königsbergam petentium vectigal quadruplo auctum; non alio nomine, quam quia ibi vectigal, exigi cœptum

ptum erat. Neque amicitia cum Anglia Scotiaq; obstitit, quo minus graue illud vectigal penderent. Eodem loco Belgæ & Hanseatici habiti: atque ita omnium pene nationum bona taxationi Oresunticæ subiecta. Quantum ad ciues Sueciæ, cæteris quidem juxta pacta conuenta Regnorum & antiquam consuetudinem immunitate gaudentibus, vectigales erant Reualienses, Rigenses, Naruenses, Pernauienses. Hi ergo, non minus ac cæteræ nationes, noua illa & intolerabili exactione vexati sunt. de Pernauiensium frumento, obtentu mensuræ majoris, sesqui altera parte auctum vectigal. Naruensibus quoque oneratis, cum appellatus esset Rex Daniæ, idem sibi juris in Oresunda, quam alijs Regibus in suis terris vrbibusque esse, respondit. Eandem fortunam in Oresunda expertæ sunt ciuitates Megapolitanæ & Pomeranæ, in clientela

Suecorum tum acquieſcentes. A
cæteri quidem ciues Sueci, vt di
ctum eſt, ſine manifeſta pactorun
violatione, ad hunc modum one
rari non poterant; ſed vt immu
nitas tamen eorum & nauigatio
inhiberetur, primum anno CIↃIↃC
XXXVII. merces diſcriminari, omni
aq; ad apparatum & inſtrumentum
belli pertinentia, tranſitu cœpta
ſunt prohiberi: ita, vt nemin
Sueco, alteriusue nationis homi
ni, ſine peculiari indultu, tor
menta, ſclopos, arma, gladios
puluerem bellicum, nitrum, glo
bos & ſimilia liceret per Oreſun
dam portare; quamuis antea ic
nemini vetitum, Suecisque mer
catoribus ſemper conceſſum, atq;
vſitatum fuerit. Prætexebatur jus
regium, ſed revera id agebatur,
vt omnes manufacturæ, quæ vo
cantur, ad mare Balthicum, in
primis in Suecia ſubiectisque ei
provinciis, quarum incrementa
omnibus modis euerſa cupiebat
Danus,

Danus, intercíderent. Quod si plures in freto Oresuntico naues concurrerent, Suedicæ aut Suedica portantes, postremæ dimittebantur; deterrendis à negotiatione Suedica, ad hunc modum grauata, peregrinis. Atque vt amplius turbarentur Sueci, quotannis nunc vna nunc plures naues Suedicis mercibus oneratæ, vario prætextu detentæ, Hafniam deductæ, inspectæ, litibus vexatæ, quædam præter omne jus confiscatæ, quædam sine omni restitutione damni absolutæ sunt. Neque aliter Suecorum ciues, naues, bona, Glükstadij excipiebantur. Quod si quis Suecus priuatim in Dania jus suum à Rege aut Regno peteret, semper in confesso debitoque ære, liquidâque caussâ, re infecta dimissus est. Quotiens naves & merces Suedicæ in Oresundam venere, quarum certificatio vel nondum adest, vel improbabatur, statim

exactum est vectigal, non vsitatum, sed nouum illud & intolerandum; nisi Haffniam abripi mallent nautæ, nequicquam omnibus, per quæ satisfacere poterant, oblatis. Adeo pactorum, amicitiæ, conuentionum, morum, æquitatis religionem, cupiditas vectigalis, & studium perdendi nauigationes Suedicas absorbserat. Inter nuper vetita fuit: ne quis Suecus Oresundam transiret naue, portante equos, aut præfectos militares ex bello Germanico venientes, vel eo tendentes; præsertim plures. Quomodo naues vtriusque Regni, in mutuo occursu se gerere debeant, jam olim constitutum erat: neque à bellicis Suecorum nauibus Oresundam transeuntibus aliud exigebatur, quam vt apud Croneburgum subsisterent, deque suo aduentu per nuncium significarent. Contra ea, præfecti Danici cœperunt exigere, vt aplustre detra-

detraheretur : vnaque & altera minorum nauium, ad id faciendum tormentis adactæ sunt. Sed & qui Croneburgo præfuit, anno CIↃIↃCXXXVII, nauis bellicæ Suedicæ præfectum, in Oresundam venientem, amice ad se inuitauit, cumque ille, nihil suspicatus mali, egressus esset naue, missa est ex arce nauis Danica, quæ Suecam præfecto destitutam cogeret signum nauale detrahere; cuius generis plura nec vno loco euenerunt. Præter tot ac tantas indignitates, Suecorum Regina maluisset silentio premere aliud specimen animi in se, & suam gentem iniqui, nisi ad omnium notitiam publicam res tota pridem emanasset. Cœperat ante aliquot annos, Regina mater quibusdam rebus in administranda republica parum delectari. cui dissensioni cum paruo posset negotio medicina fieri, Rex Daniæ per internuntium

ſuum Petrum Wibe oleum igni af-
1638. fudit: ſubinde per Legatum ſuum Chriſtianum Ulricum, denique per filium Woldemarum, aliosq; arcanos miniſtros eo rem perdu-
1640. xit, vt conducta Hafniæ ab eo quem Danicus internuntius miſerat, nauis, Reginam matrem clam exciperet, ac menſe Julio, Reginâ filiâ Regnique adminiſtratoribus inſciis, aſportaret. Quam miſſus à Rege Daniæ, cum duabus bellicis nauibus, præfectus rei matitimæ, apud Gotlandiam ſuſcepit, vlteriuſque prouectam; præterita Lubeca, in Fimbria inſula expoſuit. Quale hoc ſit; quantaque moleſtia & contumelia redundet, verbis non exprimitur: Jpſi tamen Daniæ Regi, Miniſtrisque & ciuibus eius, nec non omnibus juſti honeſtique ſenſu præditis, præcipue autem Regibus & Principibus, quorum fortuna ſupra communem ſortem DEVS euexit, exiſtiman-

dum

dum datur, an deceat vicinum, amicum, cognatum vltro se immiscere statui alterius domestico, talique eum iniuria & ignominia afficere. Neque historia sinit nos ignorare, qui euentus plerunque ausa eiuscemodi consecuti sint. Et sane, non abiisset impune tam diu tantum contumeliarum, nisi notæ temporum iniquitati parendum fuisset. Intelligebantur quidem ista, qualia erant; neque cuiquam dubitandum videbatur, quin à compluribus jam annis, occultum cum Regina Sueciæ bellum, neque aperto minus noxium, Dani gererent. quæ res sicut suo tempore negligenda non erat, ita tanti interim non fiebat, vt tam alieno Sueciæ tempore in simultatem, indeque in bellum iri deberet. Immanis belli Germanici moles, interim Reginæ animum facile compulit, vt speraret, Danum patientia Suecorum à grauioribus ausis retentum, sa-

tis habiturum, si alienis incommodis sua in tantum commoda prouexisset, modumque in cæteris adhibiturum esse. Sed dum spe futuræ compositionis & tolerantur multa, & toleranda videntur aliqua, tentata patientia in tantum contemni cœpit, vt Danis persuasissimum esset, Suecos aut seruire hanc seruitutem, aut de salute periclitari, si se commouerent, oportere. Neque errauit plane illa opinio: Regina ob mediocres iniurias nihil profecto moturâ, nisi desperatis omnibus remediis, ad vltimam juris rationem, quæ vim vi propulsat, confugiendum vidisset. Et prioribus quidem annis, veluti per gradus cœpta est premi negotiatio Suedica, discrimine primum & interdicto certarum mercium; inde augmento vectigalis, imminutis Suecorum priuilegijs: tum destinatis in Succos & alias nationes nouis inuentis, dum inspiciuntur naues,

naues, & resignatis literis ac interceptis nauigatione tardata, interdum confiscantur, damno multantur, dominis eripiuntur. Sed quatenus vectigal, vtut iniquum, ad tempus ferri, ac subinde conditionibus finiri posse videbatur, conniuentibus oculis ista transmissa, neque ad animum adeo reuocata sunt, quamuis enim quo tenderent talia, non obscurum erat, & iniuriæ vni ac alteri factæ, omnes petebant terrebantque, ipsa tamen vexatio ad paucos pertinebat. At vero, anno præterito 1643.
dum nauigatio & mercatura Suedica, manifesta caperet incrementa, non distulerunt amplius Dani, consilijs pridem deliberatis facta jungere, id est, dare operam, vt omnis illa nauigatio atque negotiatio, adeoque cum alijs nationibus communicatio ad mare occiduum, turbata præciderctur, aut ipsa difficultate in-

utilis reddita, ſponte corrueret. præter onera igitur cæteris nationibus communia, in dimetiendis nauibus, & nouis multiplicatisque inſpectorum vocabulis & miniſteriis, ipſo numero, etſi malitia hominum abeſſet, terribilibus, primo in dubium cœptæ ſunt vocari certificationes Suedicæ, Regnorum pactis conſentaneæ & hactenus vſitatæ; tanquam paucis nummis venales, merisque fraudibus refertæ eſſent, atque, vt crimini locus eſſet, ciſtis literisque refractis, modis omnibus quod obijci poſſet, requiſitum eſt: infamatis plerisque juratis magiſtratibus per ciuitates, quaſi ſuam auctoritatem impoſturis commodarent: quamuis magna pars mercatorum Suedicorum non ignoti, iisque eſſent facultatibus, vt fraudibus inſtruendis opus non haberent. Tractis adhunc modum in controuerſiam Suedicis certificationibus, fieri non

non poterat, quin tota negotiationis ratio, & fundata certificationibus immunitas tolleretur. Eodem pertinet, quod olim in congressu apud limites reiectum negatumque, nunc impræscia Regina refodiebatur exigebaturque, vt certificationes Suedicæ, *propria* eius, qui nominabatur, *bona* disertis verbis testarentur. Cum enim, vt omnes mediocriter mercaturæ periti norunt, pauca inter negotiatores commercia proprijs pecunijs, pleraque autem varijs conuentionibus & conditionibus constent, imminuta fide, occasionem confiscandi naues mercesque quæri apparebat. Debebatur porro Suecis immunitas peregrini potus, nisi quatenus in vtroque Regno importatus venditur. hoc quoque jus primo in controuersiam vocatum, mox sublatum est: risu exceptis, qui querebantur. Lite semel sub va- 1624

rijs

rijs eiuſmodi prætextibus motâ, ſtatim ad executionem, nulla ſignificatione aut admonitione præmiſſa, ventum eſt. Anno præterito, cum naues Suedicæ aut Suedica portantes, pactis Regnorum immunitatem decernentibus fretæ, in Oreſundam veniſſent, pars etiam vectigal exactum ſoluiſſent, jamiam abituræ, nouis inſpectionibus ſubiectæ, militibus inſeſſæ, Hafniamque abductæ ſunt. ibi denuo inſpectis omnibus, refringebantur ciſtæ ſarcinæque, omniaque prædæ ac direptui habebantur, contra fœdera, pacta, amicitias, conſuetudines, naturam commerciorum, ipſumque jus & æquum. Omnia tunc in Suecos licita: nullo leuamento. Nihil Miniſter Suecorum Ordinarius, nihil ſupplices libelli apud Regem & Senatores Regni potuere: vna voce occurſum omnibus; noui judicij formulis ſtandum eſſe. Conſtituti

ſcili-

ſcilicet erant, vocabulo collegij nauales, viles quidam hõmines: qui ex præſcripto, vt apparuit; judicantes, nihil certificationibus, Regnorum pactione determinatis, nihil teſtimonijs aut documentis è Suecia alijsue Rebuspublicis tribuebant; naturam commerciorum negligebant, exercitionem nauium non ex re & conſuetudine, ſed ex propoſitis Danicis æſtimabant, adeoque naues denique cum mercibus confiſcabant. Quo jure, totus orbis judicet. Si quid enim deſideratum eſſet in certificationibus, illud vtique vel exacto vectigali, ſaluo nationis jure, expiari, vel in maiore delicto, confiſcatio nocentem ſolum, non innoxium nautam, aliosq; participes mercium petere debuit. Quod ſi ab hoc judicio ad Regem & Senatum Regni prouocaretur, nihil aliud quam moleſtia augebatur, vexationi accedebat mora, neque minus intereſtatim

ſtatim à ſententia Collegij pronuntiata, naues Danis addictæ, in vſus publicos, bonis diuenditis, conuertebantur: quin & aliquæ non euaſerunt hoc remedio priorum judicum ſæuitiam. In quas autem nullus omnino prætextus adornari potuit, reſtitui quidem, perſoluto mercium pretio jubebantur, ſed absque compenſatione damni, nec ſine mulcta, quamuis innoxijs & à Rege abſolutis impoſita. quinta enim pretij pars nouis illis accuſationibus & inſpectionibus deſtinabatur; cumque reſtitui ſibi ſua ſecundum Regis ſententiam peterent, ſuperbè à Pro-Rege habiti, oblata per contumeliam minima parte, aliquando rebus nec redditis dimiſſi ſunt. Jnſignia ſunt exempla duarum nauium: quarum altera Ludouici Geerii, altera Johannis Sibrandi Gotheburgenſis, primum detentæ, tandem poſt multam vexationem à Collegio nauali dimiſ-

missæ sunt. Nauis Geeriana æs & filum æneum, aliaque magni pretij bona, tum ferrea tormenta, quæ Regis permissu literisque recipere licuit, vehebat. nullum de nauis, nullum de mercium proprietate dubium erat. Ea cum sero autumno in Oresundam veniſſet, neque sola tali tempore periclitari vellet, accepta apud teloneum schedula immunitatis Hafniam processit, & in conspectu omnium hibernauit. Vere primo, iterum repetendi cursus in Oresunticum fretum reuersam, noui inspectores militibus occupant, Hafniam reducunt, apud tribunal istud nauticum accusant. post inauditas vexationes, cum nullus fraudis titulus potuisset reperiri, non sine maximo temporis dispendio, absoluta est: ademtis tamen multis tormentis ferreis, nec persoluto, quod primum promittebatur, pretio, dum obtenditur, mensuram globorum 1642.

non

non respondere exemplo literis ad Regem Daniæ scriptis inserto. Altera nauis Gotheburgensis merces Suedicas, pretio tonnam auri, vt loquuntur, vincente, è Belgio Holmiam portabat. Hæc persoluto in Oresunda, vnde postulabatur, vectigali, impositis militibus deducitur Hafniam, reuelluntur cistæ sarcinæque, requiruntur literæ; in jus vocantur mercium domini; neq; impetrari tamen per Internuntium Suedicum tempus poterat, quo Holmiam res nuntiaretur, ipsique venirent, aut certos homines allegarent. magna quippe pars mercatorum Holmiensium, Ipsaque Regina, mercium aliquid in hac naue habebant. Rex Daniæ, qui tum Hafniæ aderat, appellatus de eo negotio, ad formulam judicii omnia reiecit. Cum igitur tribunalis nautici quoque sententia absoluta nauis esset, Pro-Rex vel sua vel aliorum sponte denuo

jussit

jussit inquiri, & merces exonerari. in qua inquisitione omnia ita disiecta sunt, ac si prædæ expositæ essent. Cumque ne sic quidem aliquid criminis reperiri potuisset, mentis tamen quibusdam Reginæ bonis, & quidem Regio signo notatis, alijsque; denique nauis, vt erat confusissima, ingenti cum contumelia Regij nominis & ciuium Suecorum iactura, dimissa est. Hinc judicium de alijs similia passis, fieri potest. sicut enim hi quidem non sine detrimento & dispendio temporis naues mercesque receperunt: ita alij post eadem temporis & sumtuum impendia, absque suo merito, per iniuriam, non absque ludibrio & irrisu, sua bona amiserunt. Etiam Ipsius Reginæ bona & vina, quamuis certificatione idonea munirentur, vectigali subiiciebantur: cum Minister Suecorum in Dania, præter opinionem & prioris temporis

consuetudinem responsum ferret: Petendum literis à Rege Daniæ, si quid immune Regina in posterum cuperet. Scilicet, vt precarium non sine contumelia redigeretur, quod jure fœderum pactorumque debebatur. Improuisis autem eiusmodi vexationibus, multorum sane in Suecia ciuium concussa fide, interuersis bonis, magna & late patens damnorum æstimatio proponi posset: amplius tamen metus & periculi noxa diffunditur. in Oresundam enim bona sua mittere, quid erat aliud, quam in discrimen dare. itaque aliqui mercaturam immutare, & alia maritima loca quærere coacti sunt. Nonnulli nautas jusserunt de bonis Suedicis ipso jure immunibus vectigal pendere. quidam in utrumque parati, præter certificationes pecuniam secum exportabant, vt huius potius quam negotiationis jactura defungerentur. Accessit pertur-

batio

batio maxima in fodinis Sueciæ metallicis, ac prouincijs eo pertinentibus: tum prouentuum & redituum Regiorum imminutio. Quam indignum porro sit; quod Rex Daniæ, postquam semel cœpisset Regnorum pacta & consuetudines interpretari, suos judices constituit, & negotia disceptationi Commissariorum vtriusque Regni debita, sibi & Senatoribus Regni Danici vindicat, facile judicabunt, qui pacta horum populorum; & lites earumque compositiones non ignorant. Quanquam autem querelæ Suecorum jam olim per Strömfeldium in Danis agentem expromptæ; adeo contemtim erant habitæ, vt tertio demum anno elapso vix responsum impetraretur, quod extenuatis offensis titulum jutis secure prætulit; neque destinatum Danorum propositum aliud quam hostilia portendebat; Regina tamen, pactorum 1639. 1642.

reuerentiæ iterum hoc dandum censuit, vt Senatores Regni Danici, & per cos Rex ipse, de iniurijs emendandis & expiandis monerentur. Jgitur Senatui Regni Suedici accuratius questo, duo tantum Senatores Danici ea responderunt, per quæ, eluſa pactorum neceſſitudine vim quæri intelligeretur. atque cum denuo Sueci, diutius iſta ferri non poſſe, ſignificarent, pro denuntiatione belli accepta epiſtola, & minacibus Pro-Regis Daniæ verbis increpita eſt: non eſſe obſcurum, quo pertineant eiusmodi literæ; venirent Succi; ſe via media occurſuros. Secutæ ſunt literæ Senatorum Regni Danici, quæ nil aliud quam juris titulum indignitatibus in Suecos exercitis, de quibus nihil interim remittebatur, obducebant. Non poſſunt extenuare Dani, quaſi ad paucos pertinentia, quæ Sueciæ jugulum petebant, ipſamque Reipubli-

3. Iun. 1643.

19. Aug.

publicæ animam ac ſpiritum intercipere parabant: neque quæſtionem de fraude, aduerſus munitos pactis, tali modo, tali loco, exercendam quisquam dixerit: ſed nec leuioribus remedijs, aut congreſſu & tranſactione finiri rem potuiſſe opinabuntur, qui Danicam ſuperioris temporis conſuetudinem, & huius Ipſius Regis in Carolum IX. arma, de quibus ante, tum inſtructum in Reginam bellum, ſi ematuruiſſent conſilia in tempore fors proferenda, neque quicquam niſi in armis auxilij relictum, reputabunt. Cauſſam tam bonam, cordi DEO fore, & Rebuspublicis exemplum intelligentibus aut metuentibus, non immerito Regina ſperauit; paratumque interea paci animum, vt primum Dani jus tot nominibus debitum perſoluiſſent, fidemque innoxiæ impoſterum viciniæ feciſſent, retinuit. Spectant autem, quæ de tranſitu

Oresuntico disputantur, non ad Sueciam modo & Sueciæ subiectos, magnam maris Balthici partem amplectentes, & per longitudinem Gotheburgum vsque pertinentes, sed etiam ad Regem Regnumque Poloniæ, cum Magno Ducatu Lituaniæ; ad Principatus, prouincias, vrbesque Borussiæ, Curoniæ, Pomeraniæ, Megapolis, ad Lubecam, quibus non est in occiduum mare, nisi per Oresundam egressus; ad magnam partem Jmperij Romani, præsertim superioris Circuli Saxonici, & non paucos inferioris incolas, prouincias Cæsaris hæreditarias, Bohemiam, Silesiam, Morauiam, & Polonis contributa; Magni Moscouiæ Ducis ea, quæ Sueciam, Liuoniam, Lituaniam attingunt. Hæ enim omnes nationes non possunt veram exercere mercaturam, & ea quibus abundant exportare, aut quibus indigent, importare, nisi beneficio

ficio liberæ minimeq; impeditæ per Oresundam nauigationis. Quod si maris occidui & mediterranei accolas consideremus, multo minus illi mari Balthico, quam huius accolæ occiduo, carere possunt. Fœderati Belgij prouinciæ, mercatura potissimum nixæ, sine permutatione mercium & imperturbato cursu subsistere nequeunt. Anglia & Scotia magna suæ felicitatis parte multarentur, si hæc libertas abesset. Gallia, Hispania, Lusitania, Italia, cum magna item parte Europæ reliquæ, tum Asia & Africa, magis minusue, tale detrimentum sentirent. Et quandoquidem Rex Daniæ Albi Glückstadium & Crütsandam compedes iniecerat, commerciaque Hamburgensia in ordinem coëgerat, atque nunc id agebat, vt sub Filij Administratoris Bremensis aut Comitis Oldenburgici nomine prætextuque Visurgim ac Bremensem negotia-

tionem & nauigationem ſuo arbitrio vindicaret; igitur nec prædictæ nationes, nec Inferioris Saxoniæ & Weſtphaliæ Circuli, & Jnterioris Germaniæ Principatus, prouinciæ, ciuitates, apud maritima negotiantes, extra periculum ponebantur. Quid enim attineret, de mari libero diſputare, aut commercia jure gentium præſcribere, ſi alienis bonis in Oreſunda, ex quauis occaſione illudere liceret? Jnuitabantur ergo ad ſocianda conſilia & arma, quibuscunque ſubiectum ſeruitio mare, & taxatos alieno arbitrio totius orbis opes, aſſertum ire, vel neceſſitas, vel ratio erat. Atque huiusmodi fere fuerunt, quæ & tum literis euulgabantur, & ante ſecreto conſultata, Suecos compulerant, vt res repetitas nec redditas juſto neceſſarioque bello quærendas decernerent, conſiliisq; maxima taciturnitate diſſimulatis, facta incunctanter jungerent. Effece-

fecerant autem illæ ipſæ vexationes Oreſunticæ, vt Belgij Vniti Ordines, dum non minus quam Sueci periculum ſuo ſtatui imminens, ſi tantum perturbationis & violentiæ libertati nauigationis & commerciorum intenderetur, reputant & conqueruntur, Legatos Holmiam anno CIↃIↃCXL. mitterent extra ordinem, Guilielmum Boreel, Albertum Sonck, & Enæum ab Aylua, vt fœdus cum Rege Guſtauo Adolpho ante XXVI. annos initum, quod expirauerat, renouatum, præſentium rerum neceſſitatibus accommodaretur. Qui cum his paciſcerentur, nominati ſunt à Regina Axelius Oxenſtierna Cancellarius, Johannes Skytte, Claudius Flemmingius, Johannes Oxenſtierna, Senatoriæ dignationis viri. Sortita eſt finem negotiatio in has leges: vt eſſet fœdus in annos XV. inter Reginam Regnumque Sueciæ & Ordines ac 1. *Sept.* 1640.

Prouincias Belgicas, ad asserendam securitatem & libertatem nauigationis & commerciorum in utroque mari Balthico & Septentrionali, ad angustias vsque siue Canalem maris Anglo-Gallici, defendendis terris hominibusque, & conseruandis dominijs, juribus, libertatibus, immunitatibus, pactis, & receptis consuetudinibus tam terra quam mari. Si contingat alterutram partem quoad liberum vsum commerciorum & nauigationis, in mari Balthico & Septentrionali, contra jura gentium, receptam consuetudinem, & parta priuilegia, turbari ac præter morem onerari & aggrauari; connitantur vtrinque Fœderati, si absque armis res possit in integrum restitui, aut vbi hac via non succedat, arma consociata omnibus quæ tuto poterunt contrahi, viribus terra marique, non prius deponant, quam parti læsæ satisfactum,

factum, & commerciorum ac nauigationis libertas per ista maria, antiquo mori, ex præscripto juris gentium, pactorum ac receptarum consuetudinum, fuerit restituta. Idem fiat, si re semel composita, is qui offendit, quocunque alio prætextu alterutram partem aggredi destinauerit. Quod si autem contingat, alterutrum fœderatorum, alijs de caussis bello inuolui cum alijs Regibus, Principibus, Rebuspublicis, tum alter, nisi ipse domi eodem tempore infestetur, auxilium submittat, cujus modus seorsim descriptus est: manentibus interim cum Fœderati hoste commerciis, si bellum ex alia caussa, quam ob hoc fœdus extiterit: dummodo non juuentur hostes consilio, ope, pecunia, commeatu, milite, nauibus, nautis, armis, puluere pyrio, aliisque bellicis rebus; neque tendant commercia ad vrbem aut munimenta à Fœderato obsess-

obsessa. qui etiam de imminentibus periculis, & hostium machinationibus sedulo semper admonendus est. Toto fœderis tempore vtrique Fœderatorum liceat in alterius terris conscribere, colligere, & in naues imponere milites, nautas; naues item emere, vel conducere, pulverem pyrium, arma omnis generis, & cætera, quæcunque ad bellum necessaria sunt, comportare & exportare: naues item suas in portus alterius subducere, ibi hibernare, morari, illorumque immunitatibus ac priuilegijs frui, & quæ ab hostibus suis quisque interceperunt, in ijs absque ullo impedimento, ex more & lege loci, distrahere. quæ omnia hostibus, qui vel nunc sunt, vel in posterum erunt, non liceant. Fœdus hoc nihil deroget Reginæ & Regni Sueciæ prærogatiuæ, Regalibus, juribus, ac dominio maris Balthici, quo minus ijs libe-

re

re ac sine contradictione, saluis tamen fœderis legibus, perfruatur. Firma sint ciuibus vtriusque partis priuilegia, cum contractibus & stipulationibus, de immunitate vectigalium onerumue, vel olim concessa, vel deinde concedenda. Hæreditatis adeundæ facultas vtrobique ad præscriptam formulam constituatur; & jus petentibus dicatur absque ambagibus. Non præiudicet hoc fœdus, fœderi Suecorum cum Rege Galliæ & Principibus Germaniæ, aut Ordinum Belgicorum fœderi cum Regibus Galliæ & Magnæ Britanniæ ac Republicâ Veneta. Suscepto ab alterutra parte bello, in quo alter Fœderatorum alteri vi huius fœderis suppetias laturus est, neutri liceat, altero inconscio aut non consentiente, pacisci cum hoste vel inducias tractare inireque. Vtriquc liceat Legatum aut Ministrum publicum, in alterius terris,

ris, quo loco libebit, constituere. Addebatur, de recipiendis, qui vellent accedere, aliis Principibus & Rebuspublicis; tum de confirmandis intra sextum mensem, quæ conuenerant. Accessitque, quo tempore dictum est, robur fœderi: quod non omittendum hoc loco fuit, quatenus ad causas belli Danici non leui momento pertinet, & sæpe in historia attingetur. Rebus autem à tergo relictis, cum Torstensonius in Danos moueret, talem habitum, vel prudentia vel fortuna dedit. Pomeraniam hostilibus copijs paulo ante liberatam, aduersum subitas incursiones, præter ordinaria præsidia, cohors equitum ductore Petro Andreæ tuebatur. Negotio maritimo ad litus Germanicum caput erat Wismaria: ceteris quoque locis & portubus ita firmatis, ne cum Dano Cæsarei suas inde rationes conferre possent. Albim oppor-

10. Maij. 1641.

tune

tunc huic militiæ conciliabant Dömicium, Boizenburgum, Bleckeda, Sueci militis receptacula. In Morauia Olomucium, Neuſtadium & Eulenberga, validis præſidijs tenebantur. In Sileſiacis munimentis, plurimum ſpei Glogouia dabat. Statum Weſtphaliæ vigili oculo ex Legatione Oſnabrugenſi Johannes Oxenſtierna moderabatur. & Rheno fœderata Galliæ arma multum leuamenti allatura Suedicæ expeditioni putabantur; ſubmiſſis domo cum ingenti apparatu nouis numeroſisque copijs, Vinarienſem exercitum firmaturis. Sed hanc ſpem fœda apud Dutlingam clades Gallorum, ſubito intercepit: perculsâ etiam metu Principe Caſſellanâ: cui cum victor exercitus hoſtium immincre videretur, Konigsmarckio mandatum, vt petenti ſociæ Principi, ſi res poſceret, auxiliatum iret, tuendoque Viſurgi conſilia conferret.

Hunc

Hunc enim Torſtenſonius adiunctâ idoneâ delecti equitis peditisque manu in Hildesheimenſi agro conſtituerat, vt Cæſaris, Dani, Archiepiſcopi Bremenſis molimina obſeruaret, diſiiceret conquiſitionem militum in terris Luneburgicis & Brunſuicenſibus, ſpecularetur opportunitates & ſubſidia totius belli, & occurreret fortuitis, in quamcumque partem vocaretur. præcipua tamen cautio erat, ne longius digreſſus, intercepto itinere reuolare ad Torſtenſonium non poſſet, ſi fors Cæſarei contractis vndique viribus ingruerent. Atque illos quidem vt hoc facerent, vltro ratio belli hortabatur: niſi Croatæ qui explorandi cauſsâ Hauelbergam vſque proceſſerant, viarum aſperitatem & inopiam regionum queſti, deterruiſſent. ſupererat alterum per Marchiam Brandeburgicam iter: ſed excuſſo jam frumento, & in loca munita

nita

nita comportato, nihilo commodius inania omnia reperturis. Ita Torſtenſonio vacuum fuit, res Holſatiæ, vti tempus monebat, componere: ſuccedentibus ſub manum non celeritate minore, quam facilitate, quæ deſtinata erant. Rendesburgum, aduentante Carolo Guſtauo Wrangelio, ſtatim imperata fecit. Bredebergam arcem Ranzouianam, quam Stora amnis alluit, Mortaignius (cui Pinneberga etiam ceſſit) aſtu cepit, ne vno quidem ex ſuis deſiderato. Eodem die Jzehoa dedita eſt. At Chriſtianpriſiam nobile caſtellum, quod altero à Chilonio milliari Rex ædificator, ſecutus commoditatem ampliſſimi portus, excitauerat, ſuoque nomine celebrauerat, Torſtenſonius ipſe primo impetu expugnauit: ductis eo de nocte, qui illa ipſa veſpera Chilonium peruenerant, ſclopetarijs maioribus: quos non minus à mari cimbis impoſitos, 17. Dec.

quam ab vtroque litore ſimul adoriri munimenta juſſit. Repugnarunt tormentis & fiſtulis præſidiarij: ſed proditi ſunt victoribus primum ſuâ paucitate, deinde aditu terreſtri parum præmunito. Jdque ſpeculatus erat ſummus caſtrorum metator, quem Torſtenſonius ante, veluti poſtulatis præfecti reſponſurum miſerat. Occiſis qui reſiſtebant, incolumitas præfecto Axelio Vropio conceſſa eſt. prædam laboris & virtutis præmium miles tulit. Arcem firmiſſimo præſidio, tum nouis operibus egregie permuniuit Torſtenſonius, manubiis Chilonienſibus plerisque in manum Erici Johannis Vlfſparrij huic negotio præfuturi, traditis. Statiuis per omnem Holſatiam in Jutiam pertinentibus recreatur exercitus, dum Chilonij cetera Jmperator ordinat. à quo Princeps Holſatiæ, quietem & immunitatem belli, centum millibus Joachimi-

chimicorum nummorum, tra-
ditus etiam locis quibusdam mu-
nitis, & centuriâ militum, re-
demit: alia centuria in Fimbria
insula tendebat; tertiam Gottor-
pio futuram præsidio retinuit.
Seruijt hæc pecunia, itemque il-
la, quæ ab Holsatiæ nobilibus
exacta est, supplendis instruendis-
que cohortibus, belloque in po-
sterum firmando. cuius hæc ini-
tia octodecim intra dies festinato
successu finem anni occupauere.
At Regem Daniæ nuntius occu-
patæ Holsatiæ Fridrichsburgi de-
prehendit: vbi festos dies natali
Christi dicatos agere, euocatos-
que eodem liberos hilarius inui-
tare, atque filio natu maiori par-
tem imperij tradere destinauerat.
Commotus ergo non secus ac par
erat inopino periculo, Hafniam
è vestigio aduolat; Senatorum
Regni ac ciuium animos confir-
mat; armaque & vindictam sum-
mâ ope molitur: obiurgatis non

leuiter, qui vix tentandam op-
preſſis ac circumuentis fortunam,
quin potius remittendum reipu-
blicæ vltimum caſum, prudentius
quam fortius cenſuerant. Atque
ſi vere rem æſtimare volumus,
imparatam omnibus rebus Da-
niam, nihil æque ſuſtentauit, ac
viuida generoſi Regis virtus & in-
domitus aduerſis animus. Exactâ
jam-ætate ſenex in omnia bella-
toris acerrimi officia, periculo
patriæ excitatus, apud proxima
apud remota, idem auctor actor-
que, conſilio, manu, patientiâ
laborum & diſcriminum, toto
hoc bello inſignem, defenſi, qua
tenus fata ſinebant, imperii glo-
riam reportauit. Jn Sialandiâ
conquirendis terreſtribus & na-
ualibus militibus, ſtrepente paſ-
ſim tympano nihil ad ſummam
feſtinationem reliqui factum eſt
delectis apud Helſinoram è pro-
miſcuâ confluentium multitudi-
ne, aptioribus; ceteris ad alio-
con

conquisitores Hafniam remissis. Hæc officina instruendis armandisque copiis, & dispensando in alias regni partes bello conductitiis cateruis sociata agrestium agmina: neque minus ciues domi ad munitiora vrbium, militiæ munera obire jussi. Campidoctores præcipue, & præfecti armorum periti deerant. In Fioniam pars noui delectus missa est ad Andream Billium Regni Marescallum, Torstensonio illis in locis oppositum: alia in Scaniam destinabatur, vbi Ebbo Vlfeldius curare jussus est, cui Rex filiam extra matrimonium genitam collocauerat. In subsidium maritimæ militiæ etiam piraticæ naues instructæ sunt. quo delectus genere audaciſſimus quisque spem prædæ infamibus periculis emere, omnique se bellorum jure expertes facere gaudent. Ad inopiam pulueris nitrati subleuandam, perruptâ apud Hafniam gla-

quæ perſtricto Dani in attinendis literis nuntijsque feruore, cum querelas eius, rationibus ante latius expoſitis arguiſſet, ad extremum oſtendit; pactorum religionem atrocius, quam vt ſolitæ inter accolas diſcordiæ obtendi poſſent, violatam, armis vindicari; atque ne quid incolumitas patriæ detrimenti caperet, ſummopere prouideri oportere. Interea Rex de apparatu belli nihil remittere: neque domeſticis tantum viribus niti, ſed inter externa auxilia, Cæſaris præcipue opem reſpicere. Atque Cæſar quidem omnia amicitiæ officia, tali Danorum tempore, ſe impleuiſſe teſtatus eſt, cum alteris Regis literis reſponderet. nam primas non redditas ſibi affirmabat. Neque omiſerat ad primam belli famam vrbes maritimas, Lubecam, Hamburgum, Bremam, literis, quas poſtea geminauit, Dano conciliare, metuque increſcentis poten-

Scriptis 11. *Ian.* 44.

1. *Ian.* 30. *Dec.* 43.

potentiæ Suedicæ ad arma consternare: quamquam parum succeſſuro conſilio. nam illis vrbibus præcipua ſecuritatis ratio eſt, bello vicinorum quieſcere, fortunæque non tam fidem tentare, quam præmia opperiri. Apud Hamburgenſes igitur, non minus à Suecis, quam à Danis conducebantur copiæ. Lubeca, quamuis aduerſi de Sueco rumores vulgi animos turbauerant, conquiſitione militum publice Danos prohibuit; delectus domeſtici neceſſitatem cauſſata. Vt enim neutrarum partium ſtudio ſpecioſius tutiusque operam darent illæ ciuitates, exercitum communibus impenſis velle ſui tuendi cauſſa comparare, ſimulabant. Principes Luneburgici & Comes Oldenburgicus, itidem fruſtra in Suecos ſtimulati ſunt: cum illos prudentiæ; hunc neceſſitatis, ſumma vtrimque ratio, armis abſtineret. Ceterum ſicut 27. Ian. 44.

in aulâ Cæſaris ad ſuppetias Da-
no ferendas vltro omnia literis,
nuntijs, deliberationibus, feſti-
nata ſunt; ita conſilij de tot for-
tunæ diſtractioris articulis ſuſpen-
ſi fructus, non niſi ſero ematu-
ruit, quemadmodum poſtea co-
gnoſcetur. In apparatu Danico
non poſtremum ſibi locum Fa
ma vindicauit: quæ impenſior
ſtudio, quaquauerſum rebus &
cauſſæ aliquid præſidij mutua
eſt. Domi ſpes variorum auxilio
rum ampliſſimæ: foris, jura
innoxiæ gentis infortunia, apu
aures hominum animosque r
præſentabantur. A congreſſu O
nabrugenſi reuocauerat quide
Rex Legationis principem; n
que nulla opinio ſuberat, Cæſ
ris quoque Legatos diſceſſu ſu
abrupturos pacis Germanic
commercia: ſed cum illi perſiſ
rent; proceſſuro in poſterum, ſi
ſequeſtrium opera tractandæ cu
Suecis pacis negotio, non tam
R

Rex ſtatim abiecíſſe curam negotij tam fauorabilis videri voluit. extant literæ quibus à Cæſare & Principibus Septemuiris, non tantum contendit, ne quid magno illo legationum conuentu excluſâ cauſsâ Danicâ, cum Suecis „ tranſigeretur: ſed etiam veteris „ ſui conſilij formulam repetit: id „ agendum, vt exteris Regibus „ pacem Germaniæ morantibus, „ ipſum Imperij corpus ex pertur„ batione priſtina, in gratiam „ cum ſuis membris rediret, ſan„ citâ præſertim obliuione antea„ ctorum, & Principe Caſſellanâ „ à fœdere Suedico Gallicoque „ reuocata. Verum huic negotio explicando alia fatorum ſeries cœpit procedere, dum Rex omiſſo omni ampliore propoſito, præſentius ſuis rebus conſulere cogitur. Nam Torſtenſonius celeritate ſingulari cœptum bellum, nihilo cunctantius vrgebat: nullumque Danis ſpatium dabat,

quo

ris, quo loco libebit, constitue-
re. Addebatur, de recipiendis,
qui vellent accedere, aliis Prin-
cipibus & Rebuspublicis; tum de
confirmandis intra sextum men-
sem, quæ conuenerant. Acces-
10. Maij. 1641. sitque, quo tempore dictum est,
robur fœderi: quod non omit-
tendum hoc loco fuit, quatenus
ad causas belli Danici non leui
momento pertinet, & sæpe in hi-
storia attingetur. Rebus autem
à tergo relictis, cum Torstenso-
nius in Danos moueret, talem
habitum, vel prudentia vel for-
tuna dedit. Pomeraniam hosti-
libus copijs paulo ante liberatam,
aduersum subitas incursiones,
præter ordinaria præsidia, cohors
equitum ductore Petro Andreæ
tuebatur. Negotio maritimo ad
litus Germanicum caput erat
Wismaria: ceteris quoque locis
& portubus ita firmatis, ne cum
Dano Cæsarei suas inde rationes
conferre possent. Albim oppor-
tune

tunc huic militiæ conciliabant Dömicium, Boizenburgum, Bleckeda, Sueci militis receptacula. In Morauia Olomucium, Neuſtadium & Eulenberga, validis præſidijs tenebantur. In Sileſiacis munimentis, plurimum ſpei Glogouia dabat. Statum Weſtphaliæ vigili oculo ex Legatione Oſnabrugenſi Johannes Oxenſtietna moderabatur. & Rheno fœderata Galliæ arma multum leuamenti allatura Suedicæ expeditioni putabantur; ſubmiſſis domo cum ingenti apparatu nouis numeroſisque copijs, Vinarienſem exercitum firmaturis. Sed hanc ſpem fœda apud Dutlingam clades Gallorum, ſubito intercepit: perculsâ etiam metu Principe Caſſellanâ: cui cum victor exercitus hoſtium immineré videretur, Konigsmarckio mandatum, vt petenti ſociæ Principi, ſi res poſceret, auxiliatum iret, tuendoque Viſurgi conſilia conferret.

Hunc

Hunc enim Torſtenſonius adiunctâ idoneâ delecti equitis peditisque manu in Hildesheimenſi agro conſtituerat, vt Cæſaris, Dani, Archiepiſcopi Bremenſis molimina obſeruaret, diſiiceret conquiſitionem militum in terris Luneburgicis & Brunſuicenſibus, ſpecularetur opportunitates & ſubſidia totius belli, & occurreret fortuitis, in quamcumque partem vocaretur. præcipua tamen cautio erat, ne longius digreſſus, intercepto itinere reuolare ad Torſtenſonium non poſſet, ſi fors Cæſarei contractis vndique viribus ingruerent. Atque illos quidem vt hoc facerent, vltro ratio belli hortabatur: niſi Croatæ qui explorandi cauſsâ Hauelbergam vſque proceſſerant, viarum aſperitatem & inopiam regionum queſti, deterruiſſent. ſupererat alterum per Marchiam Brandeburgicam iter: ſed excuſſo jam frumento, & in loca munita

nita comportato, nihilo commodius inania omnia reperturis. Jta Torſtenſonio vacuum fuit, res Holſatiæ, vti tempus monebat, componere: ſuccedentibus ſub manum non celeritate minore, quam facilitate, quæ deſtinata erant. Rendesburgum, aduentante Carolo Guſtauo Wrangelio, ſtatim imperata fecit. Bredebergam arcem Ranzouianam, quam Stora amnis alluit, Mortaignius (cui Pinneberga etiam ceſſit) aſtu cepit, ne vno quidem ex ſuis deſiderato. Eodem die Jzehoa dedita eſt. At Chriſtianpriſiam nobile caſtellum, quod altero à Chilonio milliari Rex ædificator, ſecutus commoditatem ampliſſimi portus, excitauerat, ſuoque nomine celebrauerat, Torſtenſonius ipſe primo impetu expugnauit: ductis eo de nocte, qui illa ipſa veſpera Chilonium peruenerant, ſclopetarijs maioribus: quos non minus à mari cimbis impoſitos, 17. Dec.

quam ab vtroque litore ſimul adoriri munimenta juſſit. Repugnarunt tormentis & fiſtulis præſidiarij: ſed proditi ſunt victoribus primum ſuâ paucitate, deinde aditu terreſtri parum præmunito. Jdque ſpeculatus erat ſummus caſtrorum metator, quem Torſtenſonius ante, veluti poſtulatis præfecti reſponſurum miſerat. Occiſis qui reſiſtebant, incolumitas præfecto Axelio Vropio conceſſa eſt. prædam laboris & virtutis præmium miles tulit. Arcem firmiſſimo præſidio, tum nouis operibus egregie permuniuit Torſtenſonius, manubiis Chilonienſibus plerisque in manum Erici Johannis Vlfſparrij huic negotio præfuturi, traditis. Statiuis per omnem Holſatiam in Jutiam pertinentibus recreatur exercitus, dum Chilonij cetera Jmperator ordinat. à quo Princeps Holſatiæ; quietem & immunitatem belli, centum millibus Joachimi-

chimicorum nummorum, tradius etiam locis quibusdam munitis, & centuriâ militum, redemit: alia centuria in Fimbria insula tendebat; tertiam Gottorpio futuram præsidio retinuit. Seruijt hæc pecunia, itemque illa, quæ ab Holsatiæ nobilibus exacta est, supplendis instruendisque cohortibus, belloque in posterum firmando. cuius hæc initia octodecim intra dies festinato successu finem anni occupauere. At Regem Daniæ nuntius occupatæ Holsatiæ Fridrichsburgi deprehendit: vbi festos dies natali Christi dicatos agere, euocatosque eodem liberos hilarius inuitare, atque filio natu maiori partem imperij tradere destinauerat. Commotus ergo non secus ac par erat inopino periculo, Hafniam è vestigio aduolat; Senatorum Regni ac ciuium animos confirmat; armaque & vindictam summâ ope molitur: obiurgatis non

leuiter, qui vix tentandam op
preſſis ac circumuentis fortunam
quin potius remittendum reipu
blicæ vltimum caſum, prudentiu
quam fortius cenſuerant. Atqu
ſi vere rem æſtimare volumus
imparatam omnibus rebus Da
niam, nihil æque ſuſtentauit, a
viuida generoſi Regis virtus & in
domitus aduerſis animus. Exac
jam ætate ſenex in omnia bell
toris acerrimi officia, pericu
patriæ excitatus, apud proxim
apud remota, idem auctor act
que, conſilio, manu, patien
laborum & diſcriminum, to
hoc bello inſignem, defenſi, qu
tenus fata ſinebant, imperii gl
riam reportauit. Jn Sialan
conquirendis terreſtribus & n
ualibus militibus, ſtrepente p
ſim tympano nihil ad ſumm
feſtinationem reliqui factum e
delectis apud Helſinoram è p
miſcuâ confluentium multitu
ne, aptioribus; ceteris ad al
c

conquisitores Hafniam remissis. Hæc officina instruendis armandisque copiis, & dispensando. in alias regni partes bello. conductitiis cateruis sociata agrestium agmina : neque minus ciues domi ad munitiora vrbium, militiæ munera obire jussi. Campidoctores præcipue, & præfecti armorum periti deerant. In Fioniam pars noui delectus missa est ad Andream Billium Regni Marescallum, Torstensonio illis in locis oppositum : alia in Scaniam destinabatur, vbi Ebbo Vlfeldius curare jussus est, cui Rex filiam extra matrimonium genitam collocauerat. In subsidium maritimæ militiæ etiam piraticæ naues instructæ sunt. quo delectus genere audacissimus quisque spem prædæ infamibus periculis emere, omnique se bellorum jure expertes facere gaudent. Ad inopiam pulueris nitrati subleuandam, perruptâ apud Hafniam gla-

cie, missus cum nauigio Geda-
num Nicolaus Cochius, inde in
Poloniam & præsertim Mosco-
uiam profecturus ferebatur, au
xilijs impetrandis: quorum sp
Dani diu vulgo sua damna leua
bant. Hic est ille Cochius inqui
sitorum naualium princeps: cu
jus impotentia in nauigantes, po
pularium quoque judicio vapula
uit. cum enim ad nuntium be
lici tumultus, Helsinorâ Hafn
am asportare sua tenderet, o
stitere ciues; patriæque calamit
tem liberrimo conuitio ei trib
entes, non nisi mutatis postric
excubijs, & promtioribus quibu
dam in custodiam datis, comp
ni potuêre. Et quamquam omn
sic, vt ad justum bellum comp
rarentur, multis tamen bland
batur illa opinio, quâ Suec
statiua & prædam in Holsatiâ qu
sisse, neque institutros propos
bellandi, sibi persuaserant. T
ipse ad famam impressionis à T
st

ſtenſonio factæ, Strömfeldio Suecorum miniſtro, Helſinoræ agenti, velut exploraturus nuntiari juſſerat: poſſe eum haud grauate dimitti, quandoquidem domum reuocetur; id enim ſe compertum habere. At cum ille reſpondiſſet, nihil ſibi tale domo mandatum, veniamque diſcedendi tum demum petiturum, ſi juberetur à Regina; Rex paulò poſt ipſum quidem Strömfeldium cum præfecto curandis literis nuntijsque, quem Sueci Helſinoræ ex pacto habent, in arcem deductos; & familiam appoſitâ ædibus cuſtodiâ, continuit: in Sueciam autem nobilem puerum literas ferre juſſit. ijs mandabatur 24. *Dec.* Petro Wibe Dánorum apud Suecos internuntio ordinario; vt Reginam de expeditione Torſtenſonii appellaret, atque ſi illa non defugeret auctoritatem, quamprimum Holmiâ dimitti peteret. 10. *Ian* Reſponſum eſt epiſtolâ fuſiore; 1644.

quæ perſtricto Dani in attinendis literis nuntijsque feruore, cum querelas eius, rationibus ante latius expoſitis arguiſſet, ad extremum oſtendit; pactorum religionem atrocius, quam vt ſolitæ inter accolas diſcordiæ obtendi poſſent, violatam, armis vindicari; atque ne quid incolumitas patriæ detrimenti caperet, ſummopere prouideri oportere. Interea Rex de apparatu belli nihil remittere: neque domeſticis tantum viribus niti, ſed inter externa auxilia, Cæſaris præcipue opem reſpicere. Atque Cæſar quidem omnia amicitiæ officia, tali Danorum tempore, ſe impleuiſſe teſtatus eſt, cum alteris Regis literis reſponderet. nam primas non redditas ſibi affirmabat. Neque omiſerat ad primam belli famam vrbes maritimas, Lubecam, Hamburgum, Bremam, literis, quas poſtea geminauit, Dano conciliare, metuque increſcentis

Scriptis 11. *Ian.* 44.

1. *Ian.* 30. *Dec.* 43.

poten-

potentiæ Suedicæ ad arma conſternare: quamquam parum ſucceſſuro conſilio. nam illis vrbibus præcipua ſecuritatis ratio eſt, bello vicinorum quieſcere, fortunæque non tam fidem tentare, quam præmia opperiri. Apud Hamburgenſes igitur, non minus à Suecis, quam à Danis conducebantur copiæ. Lubeca, quamuis aduerſi de Sueco rumores vulgi animos turbauerant, conquiſitione militum publicę Danos prohibuit; delectus domeſtici neceſſitatem cauſſata. Vt enim neutrarum partium ſtudio ſpecioſius tutiusque operam darent illæ ciuitates, exercitum communibus impenſis velle ſui tuendi cauſſa comparare, ſimulabant. Principes Luneburgici & Comes Oldenburgicus, itidem fruſtra in Suecos ſtimulati ſunt: cum illos prudentiæ; hunc neceſſitatis, ſumma vtrimque ratio, armis abſtineret. Ceterum ſicut 27. Ian. 44.

in aulâ Cæſaris ad ſuppetias Dano ferendas vltro omnia literis, nuntijs, deliberationibus, feſtinata ſunt; ita conſilij de tot fortunæ diſtractioris articulis ſuſpenſi fructus, non niſi ſero ematuruit, quemadmodum poſtea cognoſcetur. In apparatu Danico non poſtremum ſibi locum Fama vindicauit: quæ impenſiore ſtudio, quaquauerſum rebus & cauſſæ aliquid præſidij mutuata eſt. Domi ſpes variorum auxiliorum ampliſſimæ: foris, jura & innoxiæ gentis infortunia, apud aures hominum animosque repræſentabantur. A congreſſu Oſnabrugenſi reuocauerat quidem Rex Legationis principem; neque nulla opinio ſuberat, Cæſaris quoque Legatos diſceſſu ſuo abrupturos pacis Germanicæ commercia: ſed cum illi perſiſterent, proceſſuro in poſterum, ſine ſequeſtrium opera tractandæ cum Suecis pacis negotio, non tamen

Rex

Rex ſtatim abiecíſſe curam negotij tam fauorabilis videri voluit. extant literæ quibus à Cæſare & Principibus Septemuiris, non tantum contendit, ne quid magno illo legationum conuentu excluſâ cauſsâ Danicâ, cum Suecis „ tranſigeretur: ſed etiam veteris „ ſui conſilij formulam repetit: id „ agendum, vt exteris Regibus „ pacem Germaniæ morantibus, „ ipſum Imperij corpus ex pertur„ batione priſtina, in gratiam „ cum ſuis membris rediret, ſan„ citâ præſertim obliuione antea„ ctorum, & Principe Caſſellanâ „ à fœdere Suedico Gallicoque „ reuocata. Verum huic negotio explicando alia fatorum ſeries cœpit procedere, dum Rex omiſſo omni ampliore propoſito, præſentius ſuis rebus conſulere cogitur. Nam Torſtenſonius celeritate ſingulari cœptum bellum, nihilo cunctantius vrgebat: nullumque Danis ſpatium dabat,

quo

quo gradum caperent, & insulis egressi continentem obtinerent. In Jutiam ipse impetus Holsaticæ expeditionis Duglassium tulerat, postquam apud Coldingam equites hostium conduci nuntiatum est. receperunt illi se tum quidem in Fioniam; ex qua paulo post missu Regis Andreas Billius, regressus, locum castris cepit, in litore angusti freti, quod à Fionia Jutiam dirimit: Middelfurtanum vocant. Sed Torstenson, ineunte nouo anno, motis Chilonio castris, Jutiam ingressus, cum de munitione apud fretum & conductis à Tribuno Friderico Buchvvaldio ad tuendos fines, turmis, comperisset, raptim expeditam equestrem manum egit, & hostilem equitatum (mille quingenti erant) apud Coldingam nactus, ita cecidit, vt vix centum euaderent. laminarum ferrearum incommodum onus pugnantibus; & equorum

4. Jan. 1644.

præ-

prægrandium moles fugientibus, fraudi fuit. Ab hoc certamine, ad caſtra nondum ſatis permunita prouectus victor, delectum peditem & viginti tormenta adhibuit. Triduo jam quatiebantur munimenta: cum Billius deſperatâ defenſione, tormenta, ſigna, præfectorumque militarium potiores in Fioniam ſecum traiicere cœpit. Quâ re animaduersâ, Torſtenſonius caſtra expugnare decreuit; ordinatisque ad impetum faciendum cohortibus, præmiſit æneatorem, qui obſeſſis, vt arma deponerent denuntiaret. Illi per tympanotribam emiſſum de conditionibus agere conati, iterum deditionem ſine exceptione facere jubentur: ſimulque inſtructa acies aggeri caſtrorum admouetur. Tum vero abiectis armis, exilientes operibus incolumitatem petebant. quatuor millia hominum & quingenti in poteſtatem venêre. de quibus conducti-

ductitij mille, Suecorum cohortes suppleuerunt, vernacula multitudo, non sine ludibrio domum remissa est. Dum hæc aguntur, relictæ in Holsatia copiæ, ductu Mortaignii ad Ditmarsos & paluſtria incolentes, quotquot Danicæ ditionis erant, penetrarunt; emunitis glacie itineribus, quæ remissiore cœlo inuia sunt. cæsis qui resistebant, ceteros terror imperata facere, ac tributum pendere adegit. Neque minus feliciter Optio Tribuni Gustaui Hornii, copiosam agrestium armatorum manum disiecit, profligauitque. In extremam Jutiæ Borealis prouinciam Vensiliam, itidem beneficio hiemis sinum Lymicum glacie adstringentis, Tribunus Helmoldus Wrangelius inuectus, septingentorum circiter strage agrestes manus arma ejurare coëgit. Perpurgatâ intra alterum mensem hostilibus copijs tota Jutiâ Holsatiaque

(nisi

(niſi quatenus Crempa & præcipue Gluckſtadium firmis Danorum præſidiis tenebantur) Torſtenſonius ita diſpoſuit ac communiuit hiberna; vt nec vim, ſi alicunde exoreretur, metuerent, & inſtaurando militi augendoque plurimum inſeruirent. Prætorium Haderslebiæ in Jutlandia meridionali conſtituit: vnde expeditum & facile in omnia regimen, ſiue reſpicere, ſiue proſpicere vſus eſſet: ad latus Fionia modico freto receſſerat. in quam initio ſtatim ex Holſatiâ repertis apud Chilonium lintribus, traiicere agitantem ducem, inclementia hiemis tardauit: neque mox excitos, & ad reſiſtendum omnia comparantes incolas adoriri tutum fuit. Subinde autem Regis præſentia, qui Othoniæ aliquantiſper ſubſtitit, inſtar munimenti fuit. Js ſuppleuit quæ ex Jutia euaſerant, copias nouis delectibus: excitauit ad omnes adi-

aditus, munitiones; vada ſudibus ferro præfixis concluſit: diſpoſuit tormenta; partitus eſt ſtationes; naues & pontones in freto Middelfurthano collocauit, è quibus ad duodeuicena & vicena muralia tormenta proſpectabant. Niborgi quoque parata ſtabant nauigia exceptura, ſi quid ſecius eueniret, pulſos, & in Sialandiam vectura. Jn his enim duabus inſulis Fortuna Daniæ pedem fixit, neque ullis hoſtium conſiliis, conatisque vel tum vel poſtea ceſſit; cum vi Suecâ tenerentur cetera, aut trepidarent. Ceterum quo intentiore curâ Rex inſulas muniebat; eò ſtudioſius id belli caput impetendum Torſtenſonius judicauit. Contractæ ea cauſſa vndique omnis generis naues, & ad opportuna portuum Jutiæ Holſatiæque diſpoſitæ: occaſiones, quantâ poterat fieri induſtriâ & ſolertiâ captatæ, vt ſi non invaderetur hoſtis apud interiora,

teriora, ancipiti saltem metu distractus, nihil quietum sibi tutumq; persentisceret. Sed aduersum hæc Dano non adeo difficile fuit, nauibus stationarijs, obsidere freta; exploratorijs percursare maria; directâ velut acie minari inuicem litoribus; dum iustæ Suecorum classes expediri potuêre. Interea terrestris militia etiam è Suecià se promouebat. primo anni mense delectibus passim habitis exercitus cogebatur XIV. millium: quamuis non vltra VIII. millia ab initio præsto fuere, cum veteranus imperator Gustauus Hornius apud Wernemoam inito copiarum numero, postridie ad limites, qui Sueciam à Danicâ ditione apud Markarydum disterminant, cœpit procedere. Tanta autem taciturnitate etiam hic omnia sunt administrata, vt Ministrum Daniæ ordinarium (Residentem vocant) Holmiæ agentem, ingenio sagacem, ac omnia

Ianuar. 1644.

8. Febr.

rimari peruigili induſtria ſolitum
& apparatus armorum & copia
rum coactio falleret : itáque cum
exercitu Jenecopiam ventum, &
in hoſtiles terras proceſſum jam
eſſet, antequam futurum bellun
is animaduerteret. Fines, tum
Noruegiam, tum Hallandiam
Bleckingiam, Scaniam, ſpectan
tes cuſtodijs muniebantur. Go
theburgum, Calmaria, Jenecopia
Wadſtena, Wexioa veluti prom
tuaria & horrea tam annonæ
quam armorum deſignabantur
Adiutores Guſtauo Hornio attri
buti, præcipuo pedeſtris militiæ
gradu Laurentius Kaggius; apud
equites Johannes Wachtmeiſte
rus; tum ſupremus mandatorum
curator (Commiſſarium Genera
lem appellant.) Johannes Jeſper
Kruſius. Ceterum antequam ar
ma admouerentur, præceſſerat, qu
bellum ex hac parte indiceret
fecialis: quemnec Regis, nec pro
cerum cuiusquam appellandi co
pi

plâ factâ per aliquot dies Helſinoræ cuſtoditum, remiſerunt, poſtquam Rex Daniæ ſcripto jam publicaſſet cauſſam non acceptarum literarum, miſſique caduceatoris veluti ludibrium incuſando, ſolitas querelas repetiſſet. Duæ autem erant viæ, quibus à limite Suedico cum exercitu in Scaniam poſſet perueniri. quarum ſolita Helſingborgum ducens, concædibus impeditior, & inundantibus aquis intutior, reſtituro præſertim apud Tranarpium vadum hoſte; altera facilius admiſſura videbatur Lundam verſus irupturos; vel infra vel ſupra munitionem Wiſioënſem, quâ ſe Dani præcinxerant. Jtaque tormenta obſidionalia Jenecopiæ relicta (cum per anguſtias arduum eſſet tam graue agmen moliri, neque equi, qui ad manum erant, ſufficerent) magnopere poſtea deſiderabantur. Cum enim iter illud ingreſſis nuntiatum eſſet, 23. Febr. 13. Febr.

non desperandam viam regiam
mutato consilio Helsingborgum
contenderunt: perruptis non in
feliciter concædibus, & rustici
qui se armati ostentauerant, nul
lo negotio fugatis. Aquæ Tra
narpiæ vadum hostili impeditum
præsidio, declinatum est: superio
re paulum loco apud Sundeslo
am per alueum ponte instratum
transductis copijs: quarum ne
conspectum quidem sustinuit sta
tio Danica, quæ in munimento
17. Febr. appositio collocata erat. Helsing
borgi, arcem præsidio, vrben
incolis, non tamen annonâ va
cuam reperit Gustauus Hornius
qui mox literis inde dimissis, pro
fugos ad sua quemque reuocauit
ac in fidem se recipere dedito
confirmauit. paruerunt vicinio
res præfecturæ: ceteri syluarum
latebris occultati vias latrocinij
infestabant. Vt primum enim
Gustauus Hornius, qui ex itine
re discecerat agrestes illas manus
pro

progressus est Oresundam vsque, coiuerunt à tergo, non tantum manipulus iste perditorum hominum, quos quidam Benedictus Magni ferebatur coëgisse, vt fines Suedicos assultarent: sed quidquid hominum Ebbo Vlfeldius, extractis etiam domo seruis, & adolescentibus, vndique excire potuit. Is consederat primum apud Visioam; vnde, cum putaret Suecos illac ituros, recesserat à munimento Christianstadium versus: atque tum ex illo præsidio, tum ceteris locis munitis subinde euocabat, quos cum rusticis armatis, in Suecos immitteret, si qua manus ab exercitu digrederetur. Neque dubium habebatur, quin irrupisset in fines Sueticos, vnde jam tributa postulare, frustra quidem, sed ausus erat; nisi Fredericus Stenbockius summâ vigilantiâ mandatam sibi Westrogothiæ & vicini limitis defensionem administrasset: atque

vltro Hallandiam ingreſſus, exarmatis ſubiectisque ruſticis, magnam prouinciæ partem ſub oculis Warbergenſis arcis, pendendi tributi neceſſitate obligaſſet: denique irruptionem ſæpius molientes, aliquoties adortus reieciſſet. At in viâ regiâ apud Fagerholtum præcipua ſedes, itinerum ſubſeſſoribus. Inde nuntij & præſidia literis perferendis addita intercipiebantur. inde Markary-
6. Mart. dum emiſſa manus prædatrix horrea & templum diripuit, quæque aſportari non poterant corrupit præfectus, cui præcipue imminebant, euaſerat. Quare Guſtauus Hornius Klingſporio, quem cum octingentis equitibus & dimachis miſerat, tormentis Jenecopiâ adferendis præſidio futurum, in mandatis dedit: vt in armis repertos agreſtes interficeret, quorundam domos igne exureret, in primores præſertim eorum, quos Landsmannos vocant, inquire-

ret.

ret. Repertus tum cæſusque cum ſocijs receptator illius manus, quæ Markarydum ſpoliauerat, omniumque Suecis apud limites malorum auctor. puniti & alij latrocinijs crudeliter vſi. Neque tamen ille terror diutius in officio Fagerholtenſes tenuit, quam dum abſcederet Klingſporius. qui trecentis amplius militibus, ſuper priorem numerum auctus, tormenta quieto itinere, Lundam in prætorium deduxit. Hæc princeps quondam Scaniæ vrbs, quæ celebritatis antiquæ nil niſi rudera hodie diffuſo ambitu oſtentat, trecentis circiter domibus, & inchoato vallo, plurimisque circum piſcinis, veluti munitorum caſtrorum ſpeciem, & vſum Guſtauo Hornio præbuit: poſtquam Helſingburgo operibus & præſidiariâ trecentorum militum manu firmato, huc conceſſerat. Præcipui quidem conſilij erāt, munitum aliquem locum ab hac

parte occupaſſe : vnde bello robur & receptus ſperaretur. Sed obſtitit hiberna tempeſtas, iniqua ligone & dolabrâ nitentibus. neque impetu ac terrore tentari poterant munimenta, ad vndas pleraque & in oculis ſita Regis; ſubſidia promte & ſolatia, dum mari non arcetur, ſubmiſſuri. vt tamen in officio interea eſſet ager hoſtilis, firmiores nobilium domus, inprimis Erichsholmia, occupabantur : & armatorum hoſtium globi, immiſſis ſubinde in diſpoſitos aut circumuolitantes turmis, diſiiciebantur. Jam Helſingborgo egreſſi centum equites de cohorte Haraldi Stackij apud Anneloam inciderant in manum agreſtium, qui luſtrabantur. ij poſt tentatam frūſtra fugam, ſupplices domum remiſſi, & quietem agere juſſi ſunt, ademto vexillo. Apud pontem Getingenſem excubantes ducenti pleramque partem cæſi ſunt, profligatis

cete-

ceteris. Hæc res prohibuit Vlefeldium Klingſporio imminere: cum præſertim animaduerteret Guſtauum Hornium id agere, vt educti Chriſtianſtadio milites, ſi longius irent, reditu intercluderentur. Ne tamen nihil ageret, per equites ac dimachas ſuos, à tributis Sueco pendendis agricolas reuocare, atque interceptis quibusdam Suecis, aditus ad caſtra eorum ferentes deſtruere conatus eſt. Jam in eo erant trecenti circiter, vt pontem illum Getingenſem milliari vno Lunda diſtantem recciderent: cum miſſus in eos Johannes Wachtmeiſterus ſummus vigilum præfectus ſtrenuâ plerorumque cæde (paucis enim fuga aut captiuitas vitam ſeruauit) compreſſit audaciam Vlefeldij: qui Horbyâ, vbi aditum tuebatur, cum reliquijs eductorum militum regreſſus eſt, vſque ad primum à Chriſtianſtadio lapidem. è Suecis, præfectus

cohortis equeſtris Güldencornetius cecidit. Poſtridie alia manus rebellantium ruſticorum domita. neq; melior eorum fortuna fuit, quos Laurentius Kaggius, poſtea in Sefuendaliam miſſus, profligauit. Excitus & ipſe Guſtauus Hornius, falſo rumore, quaſi Vlefeldius cum parte præſidij Chriſtianſtadienſis, & alia manu Malmogiam tenderet, ducem quidem Danum non reperit: collectos autem apud Suidaliam agreſtes, multis interfectis, diſiecit. Jta enim temperauit Martis ſui vices prudentiſſimus imperator, vt terrore pro telo, lenitate pro conſilio ſingulari vſus, arma deponentes, promtosque obſequio, libenter conſeruaret, militemque cædis auidum coërceret: pertinaces autem malè multaret. Securitati itinerum vt conſuleretur, exciſæ vtrinque ab regiâ viâ ſiluæ ad jactum ſclopi maioris, receptum latrocinijs ademerunt.

runt. Aduersum fines Norvegiæ in Daliâ & Wermelandiâ opportunis locis, ſtationes ſtatim ab initio tumultuum diſpoſitæ ſunt. inprimis Gotheburgum Weſtrogothiæ caput Noruegis ſimul Hallandisq; terrori erat. Hanc vrbem veluti arcem tuendis finibus, in inſulâ Hiſingâ, cuius pars Dano ſubeſt, Rex Sueciæ Carolus IX. extruxerat, commodo ad mare occiduum portu, & flumine Trollhätta, nauticis rebus, & mercaturæ opportunam; curaque ſucceſſorum & huius ipſius occaſione belli ad præcipuum decus ac robur progreſſam. Hîc, miles, annona, arma, non pro munimentis tantum & præſidiis, ſed ſi quam præterea belli partem huc fortuna admoliretur, in promtu habebantur. Hiſingani, qua Danicæ ditionis ſunt; tum Hallandorum proximi, tributa Gothoburgenſibus pendere non abnuebant: quamuis à ſuis eo nomine 1607.

mul-

multarentur. Fuitque Danicis præfectis prorsus difficile, in Norvegia & apud hos limites arma & viros moliri. Quo longius absunt ab imperij sede, eo plus sibi contumaciæ & rumoris vindicant. Nil sibi cum Regis sui offensis, qui plures inimicos irritare non dubitasset, fremebant: nec deesse exempla ac consilia à maioribus tradita, quiescendi potius, quam cum vicinis pugnandi. Hunc animorum habitum, etiam fama auxit: quam arte præfectorum institutam, vulgus auide arripuit, tantoque impetu, pacem Danis Suecisque duraturam, inanique belli nuntio tumultuatum hactenus, jactauit, vt satis constet, perticas in collibus disponi solitas, sustinendis ignibus, si quid subitum significari oporteret, reuulsas, aliaque militiæ munia omissa esse. Ab hoc errore paulatim reuocatis, disciplinam belli tradere, nouus

labor

labor erat. coëgit enim magnâ induſtriâ, quidquid agreſtium potuit excire in Noruegiâ, cui Principis loco præerat, Hannibal Seſtedius; atque vt animis conſternatis belloque auerſis primum mederetur, vetuit eos paueſcere Torſtenſonij in Jutiam progreſſu: fugatum à Cæſareo exercitu, in illo angulo mox periturum; Regemque cum exercitu Sueciam ingreſſurum, dictitans. interim ſe continerent, neque Suecos irruptione tentatâ laceſſerent, donec auxilia amicorum & fœdere coniunctorum expedirentur, tutamque & facilem militiam rederent. Additi, qui arma tractare imperitos condocefacerent, ſubinde minis & iniurijs excepti ſunt. dilapsâ non paruâ ruſticorum manu, quæ ruri opus facere, alereque militem, non ſupplere, ſui muneris, cauſſabatur. Bahuſia communis arx Noruegicarum vrbium, Maſterlandiæ, ſeu

Mar-

Marſtrandiæ, Kunghelliæ, Vdd
vvalliæ, finibus Suedicis ex a
rupe imminet. Huc ſe ſuaq
contulerunt plerique confug
cauſsâ: vnde inopia rerum n
ceſſariarum, & paulo poſt fame
nam & præfecti ſuo more, anno
nam carius autumno vendidiſſ
dicebantur; vt per hyemem
Suecis ſua conuehentibus meli
us emerent, priuatoque compen
dio ſeruirent. Præſidio præera
Gabriel Siuertus, qui Sueco
impune præternauigare lintribus
ſinebat, donec diſſimulatio-
nem, quæ imparatis loco ſapien-
tiæ fuit, neceſſitas accenſi acrius
belli abſorpſit. Caſtra ad Vdde-
vvalliam munierat Seſtedius: vn-
de dimiſſi ſubinde, qui fines
Sueticos modo repentino incur-
ſu, modo conſtituto veluti gra-
du, territarent. Tentatæ ſtatio-
nes, direptæ inuicem caſæ, non
merentur memorari. Wermelan-
diam duo millia ſclopis maiori-
bus

bus instructi ad Magnorabroam conati sunt irrumpere. Sed Olaus Stackius, cum centuriam equitum non totam in tres turmas diuisisset, velut ancipiti acie aggressurus simul & circuiturus hostem, hoc expeditæ sollertiæ præmium tulit, vt hostis obiectu solis aduersi, & nube pulueris bellici, quo minus paucitatem illam animaduerteret, præpeditus, vltro recedendum sibi existimaret. Prior & acrior, quamuis non felicior, Jacobi Vlefeldij impetus fuit: qui per Jemtiam penetrare in Helsingiam, Medelpadiam, Angermanniam, connitebatur. trepidatum igitur hic loci à rusticis, non reuerti domum ad limites Jemtiæ ausis, nisi adiuncto milite & locis idoneis dispositis. Adfuitque paulo post à Suecis firmior manus, ductore Henrico Flemmingio: qui Jemtios ingressus, non ita procul à castris Vlefeldij ad Russundam posi-

12. Apr.

Ianuar. Februar.

positis, itidem vallo se communiuit. Processum est vtrinque è munimentis castrorum, si pugnæ
10. *Mart.* casus daretur. Sed Vlefeldius cum eminus animaduertisset, Flemmingij copias bene instructas, aciem diligenter formatam, duoque tormenta post cohortium centurias alis interiecta, dimicatione abstinuit, contractisque ex proximo stationibus recedere cœpit: ita tamen vt hostem insequentem ex vicis aliquoties infestaret. Post leues velitationes & modica vtrinque damna, pretium huius expeditionis Jemtia fuit, summoto Vlefeldio, in Suecorum ditionem penitus redacta. Gotheburgenses non publice tantum hosti in vtramque partem imminebant, sed priuatâ etiam audentia initiis belli præludebant, inter quæ tentamenta non omittendum est Cornelij Nicolai perinsigne facinus. Is domo Amstelodamensis, nauticis

ticis rebus à puero nnutritus, dum in Hallandia ſuas res agit, nauem Danicam in anguſtijs freti Hallandici conſpexit, euocatisque Gotheburgo triginta fere opificibus ac nautis, & iſtam & aliam cepit. è quibus vnam quidem recuperauit hoſtis, altera congeſtis honeſtiorum opibus onuſta, in Elfsborgenſem arcem manubias intulit. Submiſerat enim Cornelio auxilium militum, præfectus Gotheburgenſis; aduerſus hoſtes, ex arce Warbergenſi, & agris vicinis magno numero concurſantes, hortatuque & promiſſis eorum, qui ſuas fortunas naui commiſerant, oppugnationem molientes. Et Martio quidem menſe, naues Danicæ, vt cetero mari, ita ante Gothenburgenſium oculos ſubinde velitabant. per Aprilem autem Rex ipſe Hafniâ egreſſus in mare occiduum, Gotheburgum obſidere cœpit. vndecim fuêre naues lon-

gæ, quæ Hollandica primo aplu-
ſtria oſtendêre : ſed cum intelli-
5. April. gi dolum animaduerterent, Da-
nica ſigna reſumſêre, propiusque
ſuccedentes non niſi jactu tor-
menti maioris ab arce diſiunctæ
ſubſtitêre. Præcipuum huius ex-
peditionis conſilium fuit, pericu-
lo vrbis primariæ, vbi clauſtra
terræ marisque, finibus Suedicis
prætendebantur, Guſtauum Hor-
nium viſceribus Scaniæ inhæren-
tem auellere. Expoſiti milites in
Hiſingam Danicæ ditionis, equos
quotquot ibi, aut apud interiores
incolas reperêre, coactos, Bahu-
ſiam deduxerunt : quo Rex etiam
illâ ipsâ veſperâ iuit, rebusque
Noruegicis ordinatis, cum appro-
pinquare copias Seſtedij limiti
Suedico, nauesque apud Kung-
helliam collocatas medio Albi
Gothico ſtare juſſiſſet, poſtridie
obequitatâ Hiſingâ, cum manu
tumultuariâ quam equis impo-
ſuerat, ad claſſem redijt. Inſe-
quen-

quenti die rursus egressus, proxima vrbi litora & opportunitates diligenter inspexit; montemque Gotheburgensi portui oppositum ascendit: in quo cum diutius obuersantem præfectus Gotheburgensis videret, duo muralia tormenta in eminentem media vrbe tumulum deferri curauit, exoneratoque altero vestigia Regis, vix ex eo loco digressi, tetigit. Attulerunt autem naues Danicæ magnas trabes & tigna: quæ ad extruenda insularibus prope vrbem locis munimenta adhibebantur. Rates quoque longâ serie connexæ, & scapharum numerus, apud Kunghelliam parabantur, transmittendo in Suecam ditionem militi, Gothebur- gum terrestri etiam obsidione clausuro. Quam ob rem in Hallandia Zesevvitzius expositas nuper in illo litore ab aduentante classe copias, cum ijs, quas Ebbo Vlfeldius è Scaniâ admoue- Ramberg.

rat, fines Westrogothicos assultare iussit, & ad suggrediendum propius omnia prætentauit. Ad portum Gotheburgensem corrumpendum, Rex naues Masterlandiâ accitas deprimere, literisque ciuitatem à bello, velut iniuste & inuitis plerisque Suecis ordinibus suscepto reuocare, exaggerata periculi specie, cœperat. Responsum est à præfecto Manneiskildio, sicut boni ciuis fide, & auctoritate patriæ dignum erat: caussas belli, justas ac necessarias publica scriptura declaratas, plures etiam in aliud tempus dilatas; neque spem suppetiarum interciduse, non tam Ludouici Geerij, cui frustra seruatoris nomen DEO debitum accommodetur, aduentu nixam, quàm bonitate caussæ, & opibus Regijs aduersus externam vim satis pollentibus. fidem bonorum ciuium nullo periculo commutabilem, corrumpendi portus & mercimo-

17. & 30 April.

nij in perpetuum intercipiendi metu nequicquam tentari. Moles denique humanis opibus jactas, hominum manibus reuelli posse. Neque minus interea Hornius, vt ante dictum est, submissis copijs ducibusque, Regis conatibus intercedere parabat. sede belli Scaniâ non excessurus ipse nisi vltimo periculo Westrogothiæ euocaretur. Eo necessitatis ne veniretur, fortuna in tempore prospexit. Subito enim nuntio reuocatus in Selandiam Danus, noctu silentio in naues recepit, quidquid fere militum in Hisingam expositerat, aut in castris insularibus collocauerat: materiem munimentorum partim auexit, partim incendit, relictis in illa festinatione præter annonam & nonnihil militum, impedimentis compluribus armisque. Et Regem quidem illâ ipsâ nocte, cimba, quæ nuntium attulerat, domum reporta- 1. Maij.

uit; postridie naues vela fecerun
vsque ad Huingam, qui extre
mus in freto anguſtiarum Gothe
burgenſium ſcopulus eſt. hic ad
uerſo vento detentæ, quarto de
mum die curſum repetiuerun
cum ijs digreſſæ ſunt Gotheburge
re infectâ etiam Noruegicæ naues
portui penitus corrumpendo de
ſtinatæ. Non omitti in obſidio
nis huius hiſtoria debet felix au
dacia nauis, quam à ſancti Mat
thei imagine nomen ſortitam,
claſſis apud Hollandos conducta
15. April. Gotheburgum præmiſerat. Hæc
præterito Huingæ ſcopulo, à dua
bus ſtationarijs Danorum nauibus
impetita, cum in hoſtes lapſam
ſe animaduerteret, ventum fe
rentem ſecuta, plenis velis per
totam Danicam claſſem ad ar
cem penetrauit. Detonabant in
eam non naualia tantum, ſed
terreſtribus quoque munimentis
impoſita tormenta, pilis & gran
dine infeſta, per integram ho
ram.

ram. plus tamen intulit ipsa damni quam accepit. optione & nautarum vno cæsis, tribus vulneratis, mali ac cætera facile reparari potuêre: cum in Danicis nauibus præter vulneratos octodecim perierint. Ceterum comitata Matthæum minorum nauium vna, ex eo genere, cui à galea nomen, cum pertendere cursum non auderet, in altum reuersa, promontorium apud Schagam superare aduersante vento non potuit: atque post tertium diem noctu, inobseruato per Danicam classem transitu apud nauem sociam stetit: adiuta illis ipsis, quas hostis ex omnibus nauibus accenderat, lucernis. Quod cum postero mane Rex conspiceret, incensus irâ, quinque suorum ob excubias negligentius actas, suspendio necauit. Hæc prima veluti specimina erant classis Hollandicæ, cuius aduentantis fama postea Regem, sicuti dictum est, coëgit re-

pentino abitu deſerere opus tan
molimine cœptum. Præcip
Danorum vis in nauibus er
quibus v: Sueci non impares c
ponerent opes, tum in Sueciâ v
lida claſſis adornabatur, tum
30. Dec. Hollandiam miſſus Ludouic
1643. Geerius perfecerat, vt menſe Apr
li triginta amplius naues trib
circiter millibus ſociorum nau
lium & militum inſtructæ apu
Vliam ſtarent. Quamuis enim
Danus nihil non ſuggerebat Fœ
deratis Belgarum Ordinibus, qu
eos permoueret, vt ſuas potius
quam Suecorum partes, vel cer
te neutras tuerentur, ipſique Or
dines occulta potius quam amica
conſilia agitarent: moderandum
tamen ſibi, non prohibendum
Suecorum apparatum judicaue-
runt. Cum ergo Sueci peterent,
vt ex fœdere ſociarent conſilia
opesq; contra Danum, commu-
nesq; in cauſsâ Oreſuntica ſpes ex-
equerentur; reſponſum ab Ordi-
nibus;

ribus: non obligari se ad societatem armorum, nisi bello communibus consilijs susceptο. Suecis autem hostem imparatum oppressuris, nulla ratio permiserat, enuntiando amicis, & dispergendo in turbam secreto, opportunitates rerum gerendarum corrumpere. Quæ de nauigandi libertate, & asserendo mari differebantur à Suecis, in ijs agnoscebant vtique Ordines sui cum Suecia fœderis proposita & leges; sed ita se tamen adhibebant initio, quasi vel temporis caussâ, & in speciem obtendi talia putarent, vel tantæ rei fructum gloriamque Suecis inuiderent. Aliter ergo Suecorum fortunâ vti se posse videbant, si res suas interim agerent, Danosque jam ingentia & arcana offerentes metu suspensos tenerent; vtrarumque autem partium arma veluti auctoritate suarum opum temperarent. Dani ab emendis bello necessarijs, &

conducendis militibus prohibiti sunt: quæ Suecis indulta, sed grauatim & impositomodo; cum naues plures concedi non posse dictitarent Ordines: numerosamq; ipsi classem veluti præsidio mercatorum nauibus ituram, appararent; Legatione etiam memorabili decretâ reconciliandis Regibus. Neutris læta species fuit, armata arbitria non obscure captantium. Quocirca naues à Geerio conductæ, (quas Hollandi antequam sua classis exiret, ægre dimissuri erant, nisi scenæ seruiendum animaduertissent) summopere festinabant. vrgente præsertim, & ad se euocante eas Torstensonio. Egressus prior portu Hollandico
3. *Maij.* Henricus Gorizemius vicariæ nauis præfectus, cum octodecim nauibus, aduersoque vento in Albim actus Liesterdiepam tamen venit, & apud Ripas præfectum totius classis Martinum Thysscnium expectauit: qui mox

Præ-

Prætoriam cum XIV. nauibus, Goritzemio coniunxit; & cum Torstenſonio congreſſus, octingentos ſclopetarios maiores, quibus Tribunus Lohauſius præcrat, in claſſem recepit. cum enim legendi militis parca apud Hollandos copia eſſet, miſſusque eò cum pecuniâ Mortaignius, parum proſeciſſet, firmauit ſuis militibus claſſem Torſtenſonius, juſſitque circuito Schagæ promontorio Alborgum præterire, nauesque quas hactenus conduxerat eo loco, Arhuſianis itidem à ſe comparatis adiungere. Quo facto, Arhuſium ipſe petere, & armata militibus, auctáque nauigijs claſſe, Fioniam inuadere, receptaculaque hoſtium conuellere deſtinauerat. Sed hoc conſilium, Regis Dani naues intercepêre. quarum nouem bellicæ, ex ijs, quæ Gotheburgum obſederant, in conſpectum ſe dederunt apud Schagam Hollandicis mare per- 9. Maij. 15. Maij.
cur-

curſantibus, dum reliquæ ventum ad Lieſterdicpam expectant. Quæ & ipſæ poſtridie, in conſpectu habuerunt eximias illas vaſtorum corporum moles. ſtatim ergo præfectus claſſis Suedicæ in Hollandia conductæ Thyſſenius in eas iuit: quem vicaria nauis & quæ tertio militiæ naualis gradu cenſetur, ſecutæ ſunt. Jta tres naues modicæ cum ingentibus illis nouem ſtrenue pugnam per ſex horas continenter ſuſtinuerunt. Jamque receſſerat hoſtis, cum animaduertit, cunctari ceteras Hollandorum naues, & prætoriam deſtituere. denuo igitur in eam toto impetu rediit: quam tamen duæ ſociæ, jam circumdatam, nec parum læſam, fortiter eripuerunt, atque vt hoſtis iterum retro daret vela effecerunt. Cecidit in eo conflictu Tribunus Lohauſius, cum centurione vno, duobus ſigniferis, & triginta manipularibus. Jnteriectis aliquot die-

diebus, cum rursus primo XIII. subinde XVII. naues Danicæ conspicerentur in mari, Hollandica illa classis in portu Liesterdiepensi subsistere statuit. cui tutandæ Torstensonius duas munitiones excitauit in litore, centumque & quinquaginta equites ibi tendere iussit. Sed cum videret vndecim Danicas naues obsidere portum, veritus ne morâ interposita plures accederent, pronuntiauit nauale pugnam: mandauitque suis, vt victores ad dextram versi, naues Alborgi conductas, secum per fretum Balthicum educerent, classique è Suecia venienti in mari orientali occurrerent; victi autem aut longius abrepti in mare, Vliam repeterent, reparatisque damnis de circumeundo Schagæ promontorio nihilo minus cogitarent. Tormentorum 24. Maij. ictibus biduo toto certatum 25. Maij. est. propius congredi volentes tempestas distinuit, ac denique dire-

diremit: tribus incendiariis naui
bus classis huius à Ludouico Gee
rio conductæ in breuia impactis
malisque duarum aliarum cón
fractis. Scapha prætoriæ ictu glo
bi ferrei mersa est. Jnde, cum
Vliam repetere placuisset, aqua
petendæ, reparandisq; armamen
tis & cibarijs supplendis, ne
non curandis vulneratis; ingen
nauticæ turbæ seditio exorta es
Plerique desertis nauibus domum
digressi, Amstelodami, Hornæ
Enchusæ in Ludouici Geerij ædes
& curatores, tum in domino
nauium multa prælicenter cona
bantur: donec ope magistra
tuum seditiosissimus quisque in
vincula coniecti sunt. Terruerá
homines mercatorum potius na
uigationibus, quam militiæ as
suetos, terribilis belli naualis fa
cies, & magnitudo nauium Da
nicarum, ad quas propius non
impune succederent Geerianæ
Jgitur aspectu vxorum quæ obui
an

am proceſſerant redeuntibus ad Vliam, redintegrato horrore, circumuentos ſe à Geerio, & cladi obiectos, atrociter conquerebantur. quamquam in vtroque conflictu tredecim non amplius nautæ cæſi; plures debilitati artubus & vulnerati eſſent. Id quoque feſtinatio in apparanda claſſe illa vitij habuit, quod parum idonei nauarchi aſciti ſunt. è quibus aliquos Thyſſenius exauctorauit, ob flagitium declinatæ prioris pugnæ. Sed redibit in hoc bellum denuo claſſis, & ſuas partes non perfunctorie aget. Jnterea Torſtenſonij curas, quem in prætorio Harderslebiæ reliquimus, exequemur. Js dum loca per Holſatiam & Jutiam maxime idonea præſidijs operibusque firmabat, nihil æque circumſpexit & anquiſiuit, quam vt viam & vires daret conſilio ſemel deliberato de occupandis Danicis inſulis. eamque ob rem præcipuo ſibi

yſui

vsui fore ſperauerat claſſem
à Geerio conductam ; tum
quæ in Suecià apparabatur
comparatis etiam operâ præ
fecti maritimi Blomij ſubſidij
nauium in Jutia & Germaniâ
nautisque diligenter conductis
Sed naues à Geerio conducta
tempeſtas & ratio belli, ſic adhi
buit hactenus, quemadmodun
oſtendimus. Maior è Sueci
claſſis, cui præerat Claudiu
Flemmingius, incunte demun
menſe Junio portu Daleroën
egreſſa, quartum intra diem li
tus Germanicum appulit : vnd
exploratum dimiſſæ naues dua
Leo Smolandicus & Draco, cum
tribus Danicis ex freto Oreſunt
co venientibus, per horas oct
acti certamine depugnarunt ; re
pulſas tamen perſequi, cum
ipſæ armamentorum partem per
didiſſent, nequiuerunt. iuit poſ
hæc claſſis tota Chriſtianpriſiam
17. Iunii vt Torſtenſonius accedere, & d
ſumm

ſummâ rei cum Flemmingio poſſet conſultare. Congreſſi, cum naues tranſmittendo equiti idoneæ ad manum non eſſent, Fioniam tentare alienum judicarunt : Fimbriæque occupandæ conſilium inierunt, quæ copijs hoſtilibus congregandis ac ſub ſigna ordinandis ſedem præbebat. Juit vterque Ducum, receptis in claſſem de Torſtenſonij exercitu ducentis amplius equitibus, totidem peditibus, & centum dimachis. cum ſub veſperam ſoluiſſent, poſtero mane ad partem inſulæ borealem, quam poterat fieri proxime claſſem admouerunt. Defendebatur inſula à trecentis quinquaginta militibus mercede conductis; quibus addita erat ſeptingentorum manus, agreſtis turbæ. Hi quo minus præſidio eſſe poſſent reductibus valli & munitionibus mari oppoſitis, crebro tormentorum claſſicorum fulmine abſterrebantur : ſuccedentibus

24. Iun.

27. Iun.

28. Iun.
29. Iun.

interim & in terram expositis, quas è classe in scaphas armatas impositerant, Torstensoniano pedite, & trecentis classiarijs sclopos maiores ferentibus. Qui Danos munimentis eiectos, cæsis qui restiterant, persecuti sunt, donec cum suis equis dimachæ etiam & equites in terram euasissent. Nam & his pars victoriæ debebatur; quam nox intercedens distulit in posterum. tum enim fugientes consecuti, interfecêre quotquot repugnare ausi sunt; captis, & Suetico exercitui inter supplementa adjunctis ducentis militibus. Redactâ in ditionem Fimbriâ rebusque apud victos compositis, Flemmingio nuntiatur, Regem Daniæ cum totâ
2. Iul. classe aduentare. Ita referebant vectores Liburnicæ exploratoriæ, quam haud procul Monâ insulâ interceperant quatuor Suecorum naues ad percursandum pelagus emissæ. Jgitur Flemmingius vela ventis

ventis dare, & prœlium parare suos jussit; statimque in conspectu hostilem classem habuit: in qua nouem maiores, viginti proximæ magnitudinis, decem minores naues, præter cimbas & lintres numerabantur. in his etiam igniferæ fuerunt aliquæ. Euntibus in Suecam classem ventus apprime fauebat. cuius beneficium vt arte sibi vindicaret Flemmingius, præter promontorium Petersdorpiense litus legebat cum classe, quantum posset, donec in hostem insequentem, circuitoque eodem promontorij flexu ad loca ventis inaccessa deductum, conuersæ naues turgidis velis inveherentur. Peracto, fulminantibus vtrimque machinis, primo conflictu, iterauit obliquo cursu pugnam Flemmingius, Prætoriæ Danorum infestius imminens: quam & cepisset, si nauarchi alij officium suum fecissent. Quassata certe grauiter

tribus fere horis poſt principia ſubſtitit, reparandis damnis occupata, cumque animaduertere Flemmingius, vacillare hoſtem nec ſatis jam ſibi conſtare, dimiſſâ ad ſuas naues Liburnicâ mandauit, vt ſe per mediam claſſem hoſtium ſtrenue ſequerentur. Sed paucæ exemplum fortiſſimi ducis æmulari auſæ ſunt: pleræque obliquato curſu vt ante præterierunt. Quo factum eſt vt hoc tertio congreſſu Flemmingij nauis cum Vicariâ hoſtium, & tribus proximis conſerto certamine, aliquot locis perforata, malisque & antennis, velis item ac funibus lacerata ſe reficere cogeretur; & hoſtilis acies interea reſtitui poſſet. Quarta vice in prœlium redeuntem hoſtis paulatim declinauit, & nox inhibuit. Accenſis ſubinde lucernis, longius à litore in altum prouecta claſſis Suedica, ſub mediam noctem ad locum prœlij redijt, poſteroque

manc

mane nullas hostium naues conspexit. Ceciderunt hoc prœlio multi Danorum : in quibus Archithalassus Regni , Georgius Winde, genu consauciatus, paucos intra dies obiit. Vulneratorum numerum auxerunt præfectus Prætoriæ Ericus Laurentij, Canutus Vlefeldius magister aulæ, & cum Hilario Vlefeldio prostratus eodem ictu Rex ipse , qui festucâ ligni in faciem incussâ, oculi alterius vsu in posterum caruit. Sueci de gregarijs paucos; ex insignioribus neminem desiderarunt. Neque tamen mox portus tam fuit tutus Flemmingio , quam fuerat mare. Receperat se cum classe ad Christianpriſiam, vt , damnis prœlij reparatis, Torstensonij consilijs aduersus Danicas insulas operam daret. nam & altera classis à Geerio conducta eodem loci expectabatur. Verum distracto inde in alia Torstensonio, Dani , qui hactenus 7. Iul.

classem Flemmingij obsederan
suis nauibus; neque propulsar
vento defensi, poterant, militem
expositum opportuno contr
Christianprisiam tumulo consti
tuerunt, tormentorumque icti
bus inde naues Flemmingij infe
starunt. ita factum est vt antequam
succurri posset, Flemmingius, dum
forte manus lauat, ictu machina
per sinistrum genu adacto, supre
mum diem obiret. Quantum e
Suecia debeat, pulcerrima Hol
miensium ædificiorum & platea
rum dispositio, tum fabrorum
omnis generis institutæ per prouin
cias, tabernæ, & instructa sub
inde luculentius res naualis, cu
jus peritissimus fuit, abunde te
statur. Efficaciam & industrian
singularem, acri & impauido ac
offensiones pro Republica animo
per præcipua domi militiæque mi
nisteria, patriæ approbauit: atqu
in ardua præsertim Regiæ Holmi
ensis præfectura, omnium succes
soru m

ſorum curas onerauit. Vltus eſt mortem viri tam egregij Torſtenſonius internecione Danorum, quos in terram Rex expoſuerat, ſicut paulo poſt memorabitur: claſſisque Suetica jam Carolo Guſtauo Wrangelio permiſſa, præfectisque & militibus aucta, poſtquam toto menſe Julio Danicis nauibus obſeſſa, exitioque fuiſſet proxima, ſecundo tandem vento feliciter euaſit. Jutuit error 30. *Iul.*
præfecti nauibus Danicis Petri Galtij, qui cum vela ventis dare noſtros conſpiceret, ipſe quoque altum petijt, quaſi fortius in eos & commodius pugnaturus. quæ res capite ſtetit nobiliſſimo ſeni: cui multo ante tam triſte mortis genus Tycho Brahæus fatidicæ ſagacitatis mathematicus prædixiſſe ferebatur. Neque dubitauit fama excuſare virum, tanquam mandata per nuntios allata ſecutum; & mox ſuâ trepidatione proditum, cum omiſsâ defenſio-

ne clementiam irati Regis implo-raret. Coniunxi ſtatim, quæ ad primum nauticæ huius expeditio-nis curſum pertinent, reuersâ paulo poſt in Sueciam claſſe, vt in hoſtem nec opinantem ſe re-ferret inſtructior.

LIBER II.

Cæſareorum ex bello Danico & de eo conſilia. Tranſyluani in Cæſarem arma. Torſtenſonij in res Germanicas curæ. Belli Bremenſis cauſſæ & initia. A Königsmarckio hic & alibi geſta. Jncommoda, quæ à Danis Torſtenſoniani acceperunt. De diſciplina & gradibus munerum militarium ordinandis, Suecorum conſilia. Cæſaris auxilijs duce Gallaſſio aduentantibus obuiam it Torſtenſonius. Danorum clades prope Nymolam. Gallaſſio & Danis

fruſtra

fruſtra aliquotiens pugnandi copiam Torſtenſonius facit. Digredientem à Danis Gallaſſium, Torſtenſonius vrget, & apud Bemburgum concluſione memorabili obſidet: atque ita inuitus, ſed ratione belli dictitante, ad Germanica reuerſus, Kônigsmarckium & Helmodum VVrangelium Danico Bremenſique bello præficit. Guſtauo Hornio in Scania, Cronia deditur, & amplius munitur. Johannis VVachtmeiſteri & Friderici Stenbockij virtus. Guſtauus Hornius, in Bleckingiam; inde in Hallandiam transfert bellum. Vbi Laholmiam deditione accipit: rebusque ordinatis in Scaniam redit. Deliberat de ratione belli. caſtra ad Malmogiam admouet, ac permunit. Rex Daniæ Malmogiam tansfert copias: indeque egreſſus caſtra caſtris Hornianis opponit. Gu-

ſtauus Hornius mouet caſtra, Danosque inſequentes aliquando multat : & digreſſis hoſtibus , hiberna ordinat. In VVeſtrogothia & ad fines Noruegicos acta. In Jemtia & vicinis prouincijs. In Dalia, & VVermelandia , certamina cum hoſte. Claſſis Suedicæ in Hollandia conductæ conatus, & ſucceſſus. cui maior claſſis conjungitur. prælium nauale, & Danorum clades. Minor claſſis Suedica Gotheburgum curſum intendit : vnde in Hollandiam redire parans, ſeditione, mox tempeſtate conflictatur.

TOrſtenſonius autem , ſicut in expectatam primo , inde aduectam claſſem , partem curarum diſpertiuit : ita in cetera belli , vel in Germania relicti , vel in Daniam ſuſcepti , conſilia plu-
2. *Febr.* rimum intentus fuit. Cæſarei enim Duces translati ad Danos belli

belli occasione strenue vsuri, Passauij decreuerant, Suedicæ receptacula militiæ, per Morauiam, Silesiam, Misniam, Thuringiam, partitim occupare; infestare Pomeraniam; & confirmatis Torstensonij absentiâ rebus, promissa Danis auxilia submittere. Neque segniter consultis facta jungebant: nisi quod partem consiliorum Ragotzius, tandem arma in Cæsarem ausus mouere, interuertit; molemque Suecorum humeris destinatam oppotune subleuauit. Jn Pomeraniam Duglassius à Torstensonio missus, postquam præsidia singula inspexisset, statumque prouinciæ adiutore vsus Lilienströmio accurate exploraſſet, in Silesiam iuit, trahens secum delectam ex præsidiarijs manum, cui Tribunus Reichvvaldius quingentos equites junxit. nam & hunc Torstensonius ablegauerat, liberandis obsessis in Silesia vrbibus: inprimis Glogouiæ,

uiæ, quæ ſex menſium annonâ, repulſo hoſte, tum inſtructa eſt. Pomeraniæ maritima, paulo poſt denuo inſpicere, & curare juſſus eſt Axelius Lilie Lipſiâ euocatus. Jn Marchiâ, Croſna & Francofurtum Oderanum, alendis numeroſis præſidijs, ob inopiam vaſtatæ regionis, parum ſufficiebant. Jgitur cum nihil æque fatigaret Suecos, ac pecuniarum ad tantas res vndique ſuſtinendas conquiſitio, cœptum eſt agi cum Septemuiro Electore Brandenburgico de permutandis certâ pecuniæ ſummâ iſtis caſtellis. Bremenſe bellum, quomodo innecti Danico cœperit, altius ordiendum eſt. Regis Daniæ Filius Fridericus, anno ſæculi huius XXI. Archiepiſcopatus Bremenſis Coadiutor, cum jure ſuccedendi, electus erat. ſed hoc jure, per pactionem patris, ſiue pacem Lubecenſem, octauo poſt anno cum
1629. Cæſare factam, exciderat. Cumque

que ſubinde Cæſarei, vi occupaſſent Archiepiſcopatum, omniaque priuilegia & inſtituta priſtini moris, non ſine terrore vicinorum & eadem ſacra colentium, ſuſtuliſſent: Rex Sueciæ Guſtauus Adolphus, inter Germanici belli victorias, eiecit hoſtes, induxit præſidia, vindicatumque ſuis laboribus & impenſis Archiepiſcopatum, Auunculi ſui Johannis Friderici Adminiſtrationi libenter reliquit. Illo fatis functo, ſtatim Rex Daniæ, & Filius Fridericus, apud Ordines Archiepiſcopatus, tum deinde apud Reginam Sueciæ, Eiusque Legatos, ad reparandum jus amiſſum, ſummo connexi ſunt ſtudio. Neque Sueci denegare inſtituerant, quod petebatur: ſed præſentium rerum conditio, dilationem negotij, non lenibus momentis ad communia plurium Principum commoda pertinentibus, vltro ſuadebat. Quanquam autem, non indul- 3. *Sept.* 1634.

indulgeri Suecorum petitioni hanc moram; & idonea tempora festinando præuerti durius videbatur: quoniam tamen Dux Fridericus vrgere Ordines Bremensis Archiepiscopatus non desinebat, voti compos factus, & jam viam ingressus, occurrenti internuntio Suedico, conuentionem de re tota paulo post tractandam ob-
21. *Dec.* tulisset, Regina Sueciæ nolens
1634. diutius disputationem extrahere, voluntati ac desiderio Archiepiscopi multa & magna de suis commodis tempore alieno & periculoso condonauit, quæque Johannes Skyttius Legatus, & Laurentius Grubbius cum Jpso & Ordinibus transegerant, rata habuit, ac suscepta
8. *Febr.* dignationem eximijs amicitiæ si-
1634. gnificationibus prosecuta est. Expectabatur ergo hoc tempore, vt memor amplissimi beneficij, quo restitutus erat à Regina Sueciæ in Archiepiscopatum Fridericus,

cus, bello patris abſtineret; nec ſe Danicis Suedicisque controuerſijs, cum quibus ſcilicet nihil commune Archiepiſcopatus in Jmperio Germanico poſitus habet, ſeſe immiſceret. Eoque nomine ſedulo monitus erat à Torſtenſonio. qui, cum comperiſſet, militum delectus haberi in Archiepiſcopatu Bremenſi, Königsmarckium & Gregerſonium, mandatorum curatorem ſiue Commiſſarium miſerat, vt exigerent à Capitulo Bremenſi Verdenſique ac Ordinibus, quæ ex pactione priori debebantur, & loca munita, ſecuritati Germanicæ militiæ & Euangelicorum Principum firmandæ, præſidijs occuparent. Verdâ inprimis milite inſeſsâ, Archiepiſcopus, & hanc rem, & poſtulata cetera ægre ferens, nobiles ad arma vocauit, & caſtigatis, qui jam paciſci cœperant, agreſtibus, Danica auxilia Glück- 17. Iun.
ſtadio petijt. Jnter quæ & occiſi qui-

quidam & capti militum Suedicorum. Tum demum, integro pæne menſe poſt, datæ ad Torſtenſonium literæ, iniqua petere Suecos & hoſtilia facere, dequerebantur. Reſpondit Torſtenſonius: pactorum meminiſſet Archiepiſcopus, quæ liberum illis locis aditum Suecis tribuerent; neque conditiones tam tolerabiles, & neceſſitatem militaris diſpoſitionis aduerſus communes Principum Euangelicorum hoſtes, Viſurgi & Weſtphaliæ imminentes, tam inique interpretaretur, cum hactenus, quamuis neutras partes profeſſus, pecunijs & alijs rebus, eoſdem illos hoſtes ſubleuaſſet. nihil eſſe cauſſæ, cur hoſtilia indueret: plurimum, cum æqua & neceſſaria ſubminiſtraret, & amicis in poſterum Suecis vteretur. Quibus inſuper habitis, arma ſumma ope comparauit, Regi Daniæ auxilia ſubmiſit, & auctis ſubinde copijs Sue-

12. Febr.

cos

tos nihil tale expectantes apud Verdam aggressus fudit, captoque munimento ad Allerám extructo, Languedeliam quoque Suedicis præsidijs infessam expugnauit. Quin etiam, postquam aperte in caussam descendisset, imperiique militaris summam iis in locis suscepisset, Cæsaris auxilia instantius efflagitauit, aduersus Torstensonium ducturus, vt primum aduenissent. Königsmarckium, qui rebus inspiciendis ac ordinandis, neque vt ad bellum, in has terras ante, vt dictum est, venerat, statim regressum, Cæsareorum conata in Misniam traxerant: vnde ad omnes hostium motus circumagere agmen instituit, lateque diffusam locis Germanicam militiam temperauit; profligatis ex itinere quadringentis Croatis, quorum Dux Reckovvitzius tum cæsus, crebra Suecis damna dederat. Sed dum occupatissimas ali- m. Maij.

bi copias, quocumque res & tempus monebat, obuertit, audita Archiepiſcopi fruſtra admoniti arma, effecerunt, vt ad demandatas ſuæ curæ terras ſubito adductus, vim vi repellere maturaret: atque vnum intra menſem partim conditionibus, partim terrore, populationibus, armis, pleraque ditionis Bremenſis & Verdenſis, præter munimenta, pacaret. Languedelia tamen, in manibus hoſtium manſit, cum ad relicta ſuperioribus Germaniæ locis incepta nunc quidem recurſandum eſſet expeditiſſimo duci, cui plurima hoc tempore vni incumbebant. Redibit autem ad hoc bellum conficiendum, ſuaque virtute & impetu, longi temporis opus, tandem in compendium mittet. Hæc dum alibi geruntur, Torſtenſoniani à Glückſtadienſibus præcipue aliquid incommodi paſſi ſunt. Primum vulnus in cohortem Tribuni

Dorf-

Dörflingij ex improuiſo oppreſſam deſtinatum, cum Jtzehoæ in ſtatiuis tenderet. captus, qui vices Tribuni gerebat, cum duobus præfectis centuriarum equeſtrium; & quinquaginta circitergregarijs. reſtaurari tamen cohors potuit, recollectis mox, qui effugerant; ducentis amplius militibus. Jn Galbrechti quoque Tribuni quatuor centurias ſubito impetu ſe concitauit manus Glückſtadio egreſſa, ſexque admodum hominibus occiſis, captis quindecim, magnam equorum vim abſtulit: nulla in eo præfectorum culpâ; cum loca virgultis & paludibus inſidioſa, nullis excubijs ſatis cuſtodiri poſſent. At Jtzehoam iterum ſecuritas præſidij Sucdici, equeſtri turmâ ſibi adiuncta non ſatis diligenter in explorando vtentis, prodidit hoſti. qui dolum crebris omnis rui ſucceſſibus nobilitatum machinatus, cum porta mane aper-

ta esset, plaustrum lignis oneratum præmisit, cum fabris quasi ad opus faciendum venientibus. sequebatur agresti habitu militum nonnihil. oppressâ igitur statione excubitorum; plerique eo loci præsidium agitantes capti aut interfecti; nec nisi pauci equites & sclopetarij maiores inter tumultum elapsi sunt. Fœdius fuit Coldingense incommodum: Tendebant ibi quatuor Suecorum cohortes: è quibus delecti forte ad alia curanda dimissi erant; cum naues Danicæ, locis litoralibus diligenter imminentes, exposuerunt in terram, idoneam manum. quæ præfectorum & manipularium ducentos, septuaginta & quatuor cepit, triginta vulnerauit, sexaginta septem, & in his Tribunum Plettenbergium, cum Nicolao Petri vicario Tribuni occidit: quatuor item signa militaria in manubijs retulit. Interiecto biduo etiam moles Middel-

delfurthana à quadraginta & octo militibus custodita, in Dani potestatem venit, Mongomorij potissimum culpâ; qui cohorti Polonicæ vicariâ operâ præfectus, & tum excubare jussus, suppetias in tempore ferre neglexerat. Missos ad recipiendum munimentum Mortaignium & Duglassium cum tormentis, hostis destructis operibus digressus effugerat. Inter aduersa statiuorum Suedicorum, etiam Stalhanskij mors referenda est. vetus is miles, & ab infimo ordine ad supremam vigilum præfecturam, forti fidelique industriâ prouectus, cum inter ipsas Resurrectionis Christi ferias morbo decessisset, disciplinæ militaris constituendæ consilia, pridem Torstensonij animo agitata, maturari cœperunt. Cum enim Tribúnus Tribuno aut par pari vix vnquam satis parere dignaretur, patefacta non raro hosti occasio, altiores militiæ gradus, non sine

impendio quidem numorum, manifesto tamen vsu, multiplicari suasit: reuocato etiam Maximi Regis Gustaui Adolphi instituto, qui proximam summo Duci, Legati dignitatem, pluribus eodem tempore non dubitauerat tribuere. ibunt igitur deinde in maioris tituli incrementa, non vno tempore, qui vno consilio destinabantur. interea sua quisque strenue curat. Carolus Gustauus Wrangelius in Jutiâ, adiutore præfecto nauium Blomio rem naualem Alborgi & Arhusi ordinat, & mox apud Flemmingij classem præsto est. Viteberg ius Glückstadiensibus, Rensburgum vsque excurrere ausis oppositus, Archiepiscopi conata coërcet: alij alia obeunt munia. Et jam Cæsaris auxilia decem amplius millium exercitum Gallassius adducebat; oppugna
m. Iul. to de viâ Boizenburgensi castello. in quo, sexaginta militibu
præ

præfectus Jonas Simonis, cum ducentos amplius obsessores, & in his viginti præfectos occidisset, plures vulnerasset, quinto die cuniculis eruto munimento, cum suis internecione occubuit. Parum quidem Gallassio cum Danis conueniebat, de conditionibus jungendarum virium & administrandæ militiæ: eaque res moræ nonnihil ac inuidiæ habuit. Stabat apud Christianprisiam, inuadendæ, si fors daret, Fioniæ, & tutandæ classi illuc subductæ intentus Torstensonius, cum de aduentu Cæsareorum edoctus, id agi cognouit, vt valida manus aduersus palustria emissa interciperet iter, quo inter Stapelholmiam & Slesuicum, cohortes Suedicæ in Jutiâ tendentes, ad exercitum commeare deberent. Igitur constitutis apud classem, quæ tempus monebat, castra Slesuicum mouit: indeque cum duobus millibus egressus ad

18. Iul. 19. Iul. paluſtria, hoſti foſſis & vligine defenſo nocere non potuit. Paulo poſt Cæſareorum manus de nocte Chilonium irrupit, duabusque fere horis obuia diripuit; cæſis viginti & vno è Suecis valetudine ibi detentis: illæsâ cum præſidio arce. Rex Daniæ autem expoſuerat è nauibus, vt ante cœpimus dicere, copias; quæ in tumulo arenaceo contra Chriſtianpriſiam caſtris communitæ claſſem Flemmingij tormentis infeſtabant; & ex tranſitu Nymolenſi, interfecerant optionem Tribuni dimacharum, Johannem Wilelmum, cum tribus alijs, qui explorando loco venerant. Acceſſit nuntius de caſu Flemmingij, exciuitque Torſtenſonium è prætorio Arnholdenſi, vt Chilonium peteret; relictoque ibi ad obſeruandos Cæſareos Goldſtenio, ipſe cum tribus cohortibus equitum & ducentis dimachis Chriſtianpriſiâ accitis, ex tranſi-

tu

tu Nymolensi eijceret trecentos quinquaginta Danos. qui cum se ad ceteros munitione præcinctos recepissent, veritus Torstensonius, ne effugerent, Tribuno Sackio delectam trecentorum equitum manum attribuit, traiecturos alueum fluenti, apud Rosenfeldam, donec pons à fugientibus abruptus repararetur. Dani, cognito Torstensonij ad- 28. *Iul.*
uentu, egressi munitione suâ, ingruentem Sackium displosis sclopis exceperunt. ita vt ipse cum præfecto centuriæ equestris, & optione centurionis, itemque gregarijs nonnullis caderet. Sed absumto veluti vnico impetu, continuâ strage deleti sunt Dani mille trecenti amplius, vt aduentantibus Nymola copijs nihil pæne laboris restaret. Fuerunt in his sexcenti de cohorte prætoriâ Principis Christiani Quinti; Quadringenti ex Lalandiâ & Falstriâ conducti: trecenti classiarij.

Signa Sueci quatuor, tormenta muralia totidem, campestria duo ceperunt. Quo facto, Torstensonius in classe, cui jam loco Flemmingij Wrangelius præesse cœperat, pleraque constituit, & ad castra regressus est. Jn itinere Goldstenius manum Cæsareorum jam biduo totø Suecos in syluis obscruantium, assecutus, triginta ex posteriori agmine cepit, alios interemit. Torstensonius deinde Stapelholmiam pro-
1. Aug. gressus, cum ex paluſtribus illis locis multum sibi incommodi creatum reputasset, munitum, qui eò ducit, aditum occupare statuit: vectis plaustro cimbis, vt pedites admoueri possent. Secuta est abunde industriam fortuna, ciecto hoste pons naualis incenditur, quo Danus apud Fridrichstadium Eidoram strauerat; munitiones ope ciuium, militum, rusticorum disiiciuntur, soloque æquantur. Missa quæ tueretur pon-

pontem de cohorte Anefeldij Tribuni centuria, cum in antecursores Torſtenſonij incidiſſet, pars cæſi, pars cum centurione & ſigno capti ſunt. Poſtridie cum allatum eſſet, Danos Gallaſſio ſuas coniunxiſſe copias, & promouere caſtra, Torſtenſonius conuerſo itinere apud Rensburgum conſedit, cum toto exercitu; indeque Tribunum Hôckingium trecentos equites educere 3. Aug. 4. Aug. juſſit, hoſtium turmis apud ſylueſtria latitantibus, ſcrutandis. Cæſus eſt & ipſe Hôckingius & vicarius eius cum dimidiâ militum parte. cumq; Gallaſſius urbe Chilonij vi, arce conditionibus receptâ, in Torſtenſonium iret, nil cunctatus ille tribus pontibus Eidoræ apud Rendesburgum impoſitis traiecit copias, atque ad Neomonaſterium inſtructa acie, æquis locis vltra meridiem Cæſareos expectauit. Sed Gallaſſius 9. Aug. comperto Torſtenſonij vltro ſe offe-

offerentis instituto; inhibuit agmen locisq; inaccessis ad internata paludibus virgulta substitit. Igi-
10. Aug. tur Torstensonius Segebergam petijt; assumtoque, quod ibi tendebat præsidio, arcem incendio deleuit. Inde Oldesloam, præmissis semper cum valido præsidio impedimentis, itum est: in-
11. Aug. sequente jam Gallassio cum Danis, & in aduerso castris Suedicis colle, speciem pugnaturi præbente. quippe peditatu præstabat, Suedicis militibus per classem, & in præsidia dispertitis. Fecit co-
12. Aug. piam sui Torstensonius quamuis iniquo loco. ibi tum ad solitas artes conuersus Gallassius, ligone non gladio vti statuit. Torstensonius comperto, abhorrere à pugnâ hostem, post leues velitationes, & innoxias vtrinque tormentorum displosiones, Raceburgum contendit, ibique donec annonam Lubecâ procuraret exercitui, substitit. Gallassius

Lau-

Lauenburgi ponte Albim transgressus, per Luneburgensem agrum Bernburgum properauit: digressis in itinere, non sine fremitu, & querelâ, Danicis copiis; quas Bardeuicum vsque traxerat. Quod si Torstensonij consilium, de ponte apud Dömitzium struendo, præfecti festinatio non corrupisset, futurum erat, vt paucas hostis seruaret incolumes copias. Nunc Boitzenburgi pons parandus fuit: per quem traductis copijs (quamuis equitatui pons Dömitzensis reparatus, postquam hostili superuentu ante ruptus erat, transitum dedit) Halberstadium petijt Torstensonius: atque assumtis Königsmarckij copijs, è quibus paulo ante trecentos cum duobus Tribunis alijsque præfectis Comes Broius circumuenerat, in hostem nondum id verentem strenue perrexit. ita peruentum est Bernburgum, vbi Gallassius castra in colle quo- 1. Sept.
dam

dam munire cœperat. Quo comperto, Torſtenſonius, veritus ne Saxonia, Thuringia, Halberſtadienſis ager, hoſtium conatus ſuſtentarent, Principumque Brunſuicenſium & Luneburgicorum copiæ augere exercitum Cæſareum cogerentur, vtiliſſimum de præſentibus ſtatuit caſtra caſtris
17. Sept. opponere. Tranſito igitur Sala fluuio, ad arcem Bernburgi, citeriore ripa ſitam, vnde vrbs in vlteriore inferius poſita deſpicitur, progreſſus, præſidium ducentorum militum impoſuit: & cum exercitu Münchneuburgum verſus deſcendit; tormentis in hoſtem tam deſtinato diſpoſitis, vt mutare caſtra is coactus, ſingulari diligentia, firmisque operibus ſe dehinc communiret. Ex hac concluſione, neque ad pabulandum, neque ad neceſſaria petenda impune vnquam egredi Gallaſſianis licuit: adeo diuiſis circum proxima oppida equeſtribus

bus turmis, nonnunquam & maiori manu emissa, omnia sepserat & infesta fecerat Torstensonius. Hinc inopia, fames, hominumque & jumentorum mortes, post alterum fere mensem, euadendi consilium & audaciam hosti suppeditarunt. qui intempesta nocte, silenti agmine, Staffurtum, ac inde Magdeburgum cum reliquijs exercitus petijt. Juuit absentia Torstensonij, & Königsmarckij: quorum ille cum magna parte equitatus aduersus pabulatores hostium egressus erat: hic ad alia negotia diuerterat. capti tamen pabulatores cum pleroque præsidio, quod numerosum additum erat: & postea equitatus, quod erat reliquum, cum Magdeburgo discessisset, magna clade inter Juterbocum & Niemeccum fusus, Enckefortius captus; Gallassius denuo Magdeburgi cum peditibus 1600. circiter, à Königsmarckianis & Hassiacis copijs 11. Nov. 23. Nov.

pijs ita concluſus eſt, vt noua fame in dies atterererentur; qui ſupercrant. Jta præſtantiſſimus Cæſaris exercitus, tanta diminutione abſumptus eſt, quantam, citra decretorij prœlij diſcrimen, raro annales memorant. Ceterum inuitus ſane Danicâ ditione exceſſit Torſtenſonius, qui ſatis meminerat ſibi mandatum, vt potiores in Danicum bellum curas intenderet, res Germanicas in ſecundis haberet. itaque ſumma voti erat, Fioniam, aut, ſi caſus daretur, Selandiam inuadere, ac Guſtaui Hornij militiam Scanicam propius potentiusque ſubleuare, ſed cum totius exercitus vires aduentu Gallaſſij in vnum contractæ, non haberent in regione vaſtâ, & minus copiosâ, vbi diutius ſubſiſterent, hoſti autem ex paluſtribus neceſſaria largius ſuppeterent; non ſupererat aliud conſilium, quam præuertere hoſtem regredientem, ac

fortaſſe

fortaſſe maritima ac Pomeraniam petiturum. Sic enim reſpondit, cum regreſſus eius in Germaniam reprehenderetur. Reuersâ porro in Sueciam claſſe, non erat dubitabile, quin Rex Daniæ expoſitis è claſſe copijs, infeſtaturus eſſet Suecos, exercitui Cæſareo & Archiepiſcopo ab alterâ parte expoſitos. Quæ cum ita ſe haberent, præcipuum conſilij momentum in celeritate erat; vt corruptis & præceptis, quæ vſui eſſe poterant, inopia & fame attenuaretur hoſtis. Quæ ſpes prudentiſſimum Ducem non fruſtra habuit. Dum enim Danica ditione exceſſum, & ad interiora Germaniæ properatum eſt, ſicut diximus, equitatus Gallaſſiani numero valde deminuto, etiam perfugijs militum, neque Cæſariorum modo, ſed etiam Danicorum replebantur Lubeca & Hamburgum: vnde conquiſitoribus Suedicis facile fuit, non parum

ſupplementorum comparare. Bellum autem, diſcedens ex agro Danico Torſtenſonius, his fere præſidijs ad opportuna locorum firmauerat ac diſpoſuerat: Jutiam in officio continebant Vargardia; in Venſilia, Alborgum, Arhuſium, Ripæ, Haderslebia, munimentis ſingula ac præſidijs communita. Jn Holſatiâ Chriſtianpriſia, Trittouia, Pinneberga, Bredenberga, Sueticæ militiæ receptacula erant. Rensburgo detractum erat præſidium: quo non niſi numeroſo defendi poterat, cum vaſtatus circum ager neceſſaria non ſuppeditaret. Juſſus tamen poſtea recuperare locum Tribunus Helmoldus Wrangelius, vir per omnia ſtrenuus, vigil, efficax: quem cum delecta quinque millium manu Bleckedâ in Holſatiam & Jutiam *1. Sept.* remiſerat Torſtenſonius, conſeruaturum parta, & hoſtium vires opesque pro virili diſturbatu-

rum

rum. cum hoc conferre rationes militiæ, & mutuis subsidijs connectere Bremense Danicumque bellum, post aliquot menses Königsmarckio nouis literis in has partes curasque vocato, mandatum est. Dum hæc à Torstensonio hactenus administrantur, interea Gustauus Hornius in Scaniâ Croniam promouit exercitum, præmisso qui vrbem subito occuparet, atque adeo ab igne conseruaret, quem immissuri videbantur Dani, si aduentum nostrorum præsensissent. Postridie vbi ipse adfuit, accessus adornari ad arcem, & suggestus tormentarii excitari, atque subinde, cum tormentis diſplosis frustra deditio postulata esset, multiplicari cœperunt. Quassatis ergo globorum muralium jactu operibus, etiam rates jungebat, latissimamque fossam ponte sternere parabat Hornius, cum extrema metuens præfectus castelli Henricus Huit-

19. Iul. 1645.

29. Mart. 1644.

feldius de deditione agere cœpit, conceſſæ ſunt ſarcinæ & impedimenta, permiſſumque vt explicatis vexillis, more militari exiret
7. April. præſidium; relictis in arce quæ ſecuritatis cauſsâ eo aſportata ac depoſita erant, cum omni inſtrumento apparatuque militari, & annonâ valde copiosâ. Recepta tum ſunt duo tormenta mi-
1611. nora, quæ Succis Rex Daniæ Calmarniâ interceptâ eripuerat. Muniendæ vrbi mille pedites adhibiti cum Laurentio Kaggio, qui vrgeret opus. Præterquam enim quod portum nobilem, recipiendisque ac tutandis maioribus nauibus commodum habebat, multis militiæ vſibus in poſterum ſeruiit. Peractâ munitione, mille iſti pedites, adiunctâ delectorum equitum manu, Johanni Wachtmeiſtero attributi, qui Vſtadium verſus progreſſus tributariam fecit regionem, opportunas Nobilium domos præ-

præſidijs firmauit, cecîdit pabulatores hoſtium, nuntiorum & viarum ſecuritati inuigilauit, litoralem tractum cuſtodiuit, in expectatam tum è Sueciâ claſſem intentus, nauesque Danicas acceſſu prohibens. Fridericum Stenbockium limiti Suedico tuendo deditum apud Longaridam in nomarchia Väsboënſi Ebbo Vlfeldius, ad omnes exitus occurrens continuit, & in ſtatiuis non obſedit modo, ſed oppugnare tentauit, tormenta quædam, & promiſcui generis manum, cum præſidio Halmſtadienſi trahens. cumque pontem Niſſæ impoſitum recidiſſet Stenbockius, alio loco molientes aditum hoſtes, quatuor horarum pugnâ repulit: cognitoque poſtridie, Ebbonem à finibus receſſiſſe, inopiæ ſubleuandæ & reficiendo militi, non habuit propiorem, quo tuto ire poſſet, locum, Gothoburgo. huc deduxit partem ſuarum

rum copiarum, relictis ceteris in Marchiâ & Kindiâ, vbi hostili incursione quotidie limites inquietabantur. Ipse Gustauus Hornius in Bleckingiam versus, vt tributa detrectantes subigeret, cum Horbyam peruenisset, reliquit ibi Crusium & Sperlingium: assumtisque dimachis & cohorte Haraldi Stackij caput regionis Christianstadium petere cœpit: vnde egressa præsidiariorum manus, rusticis apud pagum Trennam collectis se coniunxerat. Sed illa quidem aduentu Hornij diffugit, rusticis sub cultro relictis. Substitit prope vrbem Hornius, stationemque sub ipsis munimentis constituit: excurrentesque denuo & incendium in suburbana ferentes Christianstadienses, cæde viginti & octo hominum, præter captos & vulneratos, castigauit. Comperto deinde, Ebbonem Vlfeldium Christianstadio cum parte præsidij in Hallandiam

diam digreſſum eſſe, eodem transferre bellum agitauit: cum præſertim de obſidione, Gotheburgo, aut irruptione Weſtrogothiæ imminente admonitus eſſet. Inſpectâ igitur de viâ munitione Wiſioënſi, quia amplior erat, quam vt modico præſidio itinerum ſecuritati poſſet attemperari, vado Lagam tranſiit, paulo ſupra Laholmiam, profligatis cæſisque, qui arcere parabant, centum amplius ſtationarijs. Halmſtadio quoque emiſſus præfectus turmæ equeſtris Jacobus Grubbius, quamquam tentatis fruſtra excubijs Hornianis, effuſo curſu refugeret, paucos tamen, nec niſi armis abiectis, partim & equis relictis, incolumes intra munimenta reduxit. magna pars in via conconciſa; Juarus Krabbius cum equitibus nonnullis captus eſt: nemine de Succis deſiderato aut vulnerato. Sincklerus cum quingentis quibus præerat, ab Ebbo-

ne Vlfeldio digreſſus, cum in propinquis Laholmiæ vicis ſubſtitiſſet; aduentu Hornij in ſe euntis, deprehenſus, in arce receptum habuit: quæ præſidio centum & quinquaginta militum tenebatur. cumque oneri ſe magis, quam vſui fore animaduerteret, aliaque in loca deſtinatas ſuas copias reputaret, regredi Chriſtianſtadium, obſeruante intentius Hornio, nequicquam nitebatur. Sita eſt arx Laholmiæ in petrâ, quam Laga amnis, vnde loco nomen, circumfluit. propugnacula quinque quadrato lapide valide nixa, ſuſtinent octo vlnarum murum, ſuperimpoſita munitione humo conſtructâ. præſidium Sinckleriano milite, præter deſtinata, numeroſius erat.
1. Maij. Guſtauus Hornius poſtquam
egreſſos munimentis quinquagin-
9. Maij. ta amplius præſidiarios cæde & captiuitate multaſſet, acceſſus facere, ponteque Lagam cœpit jungere;

gere; accitis Croniâ & Jenecopiâ machinis muralibus & mortarijs. quæ cum adueniſſent, & ex ſuggeſtibus præparatis diſploſa eſſent, deditionis poſtulandæ tubicen ad obſeſſos ablegatus, non admiſſus eſt. itaque jactis ignibus ſaxisque intra munimenta, cum foris propugnacula etiam quaterentur arcique propinquaretur operibus; ac perfoſſo aggere, quo in foſſas caſtelli aqua redigebatur, ponte temporario inſterneretur alueus, emiſſus eſt Sincklerus, qui paciſceretur. Dedita eſt 13. *Maÿ.* arx ijsdem pæne legibus, quas Cronia receperat; præfecto Biorno Vlfeldio cum ſuis Halmſtadium; Sincklero Chriſtianſtadium, proſequente præſidio, dimiſſis. ita munitiſſimo loco, metu magis quam neceſſitate dedito, intra paucos dies potitus eſt Hornius, cum omni apparatu bellico & annona omnis generis abundantiſſimâ. Eminebant in præmijs

victoriæ tres machinæ æneæ, Cal-
1611. mariæ quondam à Danis abductæ, & glorioso titulo inscriptæ: qui in cæteris quoq; Croniæ antea, & postea alibi receptis, visebatur: „Christianus IV. D. G. Daniæ „& Norvegiæ Rex manu militari „tormentum hoc extorsit in vici- „niam fugato Carolo IX. Rege „Suecorum capta Calmaria arce „veterum Gothorum. 3. Aug. CIↃ- IↃCXI. His postea decorâ & Regiâ „modestia incisum est: Christinam „Sueciæ Reginam hæc tormenta, „illo nauali prœlio, aut illa arce „captâ, recepisse. Dum Laholmiæ subsistit Hornius, vrbemque & arcem nouâ munitione firmat, dimissæ frequenter manus, transito Nissæ fluuio, tributa ab Hallandis exigebant; pars etiam Ebbonis Vlfeldij turmas obseruabant. Sed is quidem cum Halmstadio Warbergam euolasset, celerique motu in omnia discurreret, non repertus; de Halmstadien-

dienſibus autem egreſſis quidam cæſi, quidam capti ſunt. Initio menſis Junij Hornius ipſe Laholmiâ progreſſus, ſecundum ripas Niſſæ Arloſam contendit, locum dimidio fere milliari Halmſtadio diſtantem; ponteque ibi confecto, miſit, qui Friderico Stenbockio pridem euocato obuiam irent, tutumque à globis hoſtilibus iter aduentanti præſtarent. At illum defecti viribus equi, tum deinde nuntiati è Noruegia hoſtium apparatus, in Weſtrogothiâ attinuere. Hornianæ autem turmæ, ſexcenta amplius jumenta pro mœnibus Halmſtadij, nequicquam prohibentibus præſidiarijs abducta, in caſtra retulerunt. Simul Ebbonem Warbergâ, vbi dimachas reliquit, cum ceteris nauali itinere ad alia digreſſum eſſe, compertum eſt. Halmſtadij ſitum & omnia obſidentibus prona, aut ardua, ipſe imperator inſpexit, ſi in poſterum

1. Horn.

rum occasio huc vocaret, Nunc enim cognito classis Suedicæ majoris egressu, è Daleroënsi portu, potioribus consilijs vacaturus Laholmiam redijt, præfectoque præsidiarijs & arci Benedicto Lilienhöckio, qui centuriam de cohorte Ribbingij moderabatur, in Scaniam belli sedem reuocauit. Propulsando è finibus Suedicis Hallandico bello, munitio apud Malaclefam, & alia contra transitum Nissæ equestri præsidio instructæ sunt: præfectoque Gotheburgensi mandatum, vt in districtu Marckiæ idonea apud loca idem faceret. Lagam tueri cum suis equitibus Johannes Petri Gyllenschvvertius Laholmiæ relictus jubebatur. eidem securitas viarum nuntiorumque inter exercitum & limites commendata: excitatis in hunc finem etiam munimentis, tum ad diuortium viarum è Scaniâ & Hallandiâ concurrentium, tum alijs opportunis

tunis locis. His ferè præsidijs, adhibitâ etiam rusticorum operâ, defendi ab incursione hostică fines videbantur, cum Halmstadij quinquaginta tantum equites; Warbergæ, præter dimachas ab Ebbone Vlfeldio relictos, nulli essent. Jnter has curas Strómfeldius apud Halmstadium à Suecis, Petrum Wibe inuicem reddentibus, receptus est. 1. Iun. Ordinarios vtriusque Regni internuntios, illum Helsinoræ, hunc Holmiæ, ex pacto solenni degere solitos in loco retulimus. Orto bello, cum Danus dimitti postulasset, Suecus idem facere jussus, impetrauit veniam; loco permutationis, quem dixi; tempore, initijs Martij constituto. verum accedente propius exercitu Suedico, moras cœperunt nectere Dani, locumque alium optarunt, donec post tertium mensem pridem placita fidem accepêre. Mercatorum, qui ex vtraque parte attinebantur, per-

permutationem, Petrus Wibe ad ſuos redux, procurandam ſuſcepit. Ceterum cognitis ex Strömfeldio, quæ tempori opportuna, ordinatisque, ſicut oſtenſum eſt, rebus, diſceſſum eſt Laholmiâ die Junij menſis duodecimâ, & poſt diem tertium Croniam peruentum. Deliberauit ibi cum Laurentio Kaggio, de ratione belli Guſtauus Hornius: placuitque conſilium domo ſubmiſſum de omittenda expeditione Selandica, ob ancipites animos Ordinum Belgicorum, fœdera Suedica detrectantium, numeroſasque armantium copias. quod ſi omnino caſus daretur, audendi aliquid in validiores hoſtis inſulas, ſolidioris incepti videbatur, poſſeſſionem Scaniæ interea confirmare, omniaque à tergo munita relinquere. Ceterum huic ſpei Malmogia obſtabat: qua inſulares Regis vires tuto & facili commercio in Scaniam, & continen-

tinentem Sueciæ obuersum transmittebantur. Hanc ergo continere, atque, vt primum cetera justi apparatus disposítio proueniret, oppugnare, ratio militiæ monebat. Quæ postquam ad hunc modum consultata sunt, relictis Croniæ ægrotis & Tribuno Ribbingio, qui cum duabus cohortibus, vrbis arcisque, & nouæ munitionis curam ageret, 18. Iun. Malmogiæ appropinquatum est. prætorio Seracflingæ sub oculis vrbis constituto, copiæ circum proximos vicos pagosque distributæ sunt. Aduentanti Hornio in conspectu fuerunt stationes hostium equestres, satis longe ab vrbe progressæ. in quas cum turmæ minores mitterentur, vt collibus detracti hostes, prætergredientium Suecorum vires nequirent speculari, submisso ex vrbe toto equitatu præsidiario (quingenti fuêre, præter dimachas) firmari cœperunt. Juit igitur cum cen-

centuriâ cuſtodum corporis Regiorum, cui præerat, Comes Carolus Leuenhauptius; & Tribunus Stackius delectam manum agens. Sed loci conditio ea erat, vt è Succis non poſſent pugnare niſi ducenti: iique tormentis hoſtium & ſclopetarijs majoribus, eminus infeſtantibus expoſiti. Is tamen fuit impetus Caroli Comitis acriter dimicantis, vt prævalidus hoſtis cæde & vulneribus ad portas vſque vrbis repelleretur. vnde converſus, quaſi repetere pugnam animus eſſet, cum Stackium in ſe videret ire, intra præſidia ſuorum tormentorum & fiſtularum ſubſtitit. è Succis duodecim admodum cæſi vel vulnerati ſunt. in quibus Johannis Wachtmeiſteri, qui illo ipſo die perfectis feliciter alibi mandatis operibus, apud pontem Onsvvallenſem ſuas proficiſcenti exercitui copias adiunxerat, femur globo perſtrictum eſt, incertum an negli-

negligentia nonneminis è ſuis emiſſo. quamquam non defuit apud hoſtem, qui ſuum id fácinus jactaret, librato longius tubo in fortiſſimum ducem, tum explorandi cauſsâ obequitantem, deſtinatum. Sita eſt Malmogiæ vrbs & arx in planitie, ad mare, quod ab vna parte munimenti vicem præſtat; alia pars paludibus protegitur. ibi murum validiſſimum foſſa eximiæ latitudinis prætexit: hic vallo admodum firmo loci ſecuritas nititur. neque habent in proximo, quo tegantur obſidentes. præſidium ſupra tria hominum millia auctum erat: ſatis reputante Dano, Malmogiâ occupatâ nihil ſibi tutum aut firmum. Hoc ipſo enim præcipue cognitum eſt bello, quod ante contra eſſe plerisque videbatur: Daniam non tam clauſtris Oreſunticis, quam Malmogiæ mœnibus ſuam ſecuritatem debere. Ad obſidendam hanc vrbem

opus erat, & apparatu militari instructiore, & supplementis copiatum. quas imminui oportebat præsidijs passim imponendis, tum præstandæ securitati itinerum, & coërcendis Christianstadiensium excursionibus, excubijsque aduersus Malmogienses præsidiarios satis confirmandis. tum autem non nisi classico nauium auxilio prouideri poterat, ne à mari copijs Malmogia subsidijsque firmaretur, & obsidentium castra, quæ per litoris longitudinem porrigi oportebat, Danicis nauibus infesterentur. Sed Flemmingij classem alibi, sicut ostensum est, districtam, nullis nuntijs reperire, aut huc deuertere licuit: cum in eo omne consilij robur collocaret Gustauus Hornius, si naues nostræ ad Saltholmiam ancoras jacerent, alueumque freti inter Hafniam & Malmogiam obtinerent, eademque operâ coërcerent pontones Danicos, quorum

maior

maior apud Amagriam, alter è regione apud Saltholmiam, ingentibus arborum truncis constructi, asseribusq; validis interius exteriusq; vestiti, militum tormentorumque præsidio mari Oresuntico præsidebant. Sed & supplementa militum è Germanicis ac Liuonicis copijs frustra expetita, obsidionis quidem proposito, non tamen statiuorum apud hanc vrbem retinendorum consilio, Homium demouebant. Hinc præsidia, hinc agri, hinc consilia hostium custodiri & animaduerti poterant. annonæ quoque vel subuehendæ vel colligendæ, tum connectendis belli totius partibus, non alius opportunior locus. nec dubium habebatur, quin digressâ domum, ingruente autumno, Suedicâ classe, in continentis hujus oram totas vires expositurus hostis esset. Accedebat subinde alia caussa, cur in ijsdem statiuis permaneretur. classis

enim minorum nauium, quæ Calmarniâ annonam & milites apportauerat, Vstadij stabat. hæc quia maioribus nauibus tantopere apud hæc loca expetitis vsui futura sperabatur, præsidio militari defendenda fuit ab hostilibus nauibus, diligenter in hanc prædam intentis. Missa igitur duo tormenta muralia, cum alijs, quæ illas ipsas Liburnicas nostras armauerant, & in ponte Vstadiensi constituta sunt. Ita repulsæ nonnullisque ictibus perforatæ sunt nouem Danicæ naues, milite instructæ; quæ Suedica præferentes apluſtria, cum accedere propius ausæ essent, dolo animaduerso Trelleborgum concesserunt: antequam submissa è castris Hornianis auxilia aduentassent. Comperto deinde classis maioris in Sueciam regressu, istæ quoque naues Calmariam remissæ sunt: infestatæ in viâ à duabus longis Danorum nauibus apud

28. Iul.

15. Aug.

apud Sommershagam excubantibus. Scapharum vna hominibus vacua in litus acta confracta est: duabus Liburnicis captis, quæ à Struthione vulgo nominantur. vnus in ijs nauta, ne in hostium veniret potestatem, in mare se præcipitauit. Velitationes & excursiones apud hæc statiua crebræ, nec magni momenti. Halmstadienses quoque & Laholmienses mutuis incursionibus damna dederunt & acceperunt. Sed Malmogiense præsidium intra munimenta se continere cœpit, postquam nouum transferendi in Scaniam belli consilium, inter initia summo studio celari Rex Daniæ præcepit. Is enim cum ab expeditione nauali Hafniam rediisset, cunctatus est primum, marine repetteret auspicia sui Martis, an in continentem Scaniæ vires ac sedem armorum transferret. Abierat pelago Suedica classis, neque re-

uersura hoc anno parabatur. itaque inter simulatos nauium reficiendarum apparatus, prætulit terrestrem militiam, Augustoque mense in finem inclinante, nauibus Malmogiam paulatim transportauit copias, conductis ex Fionia & Selandia, ductu Andreæ Billij, sex millibus circiter pugnatorum, qui cum præsidiarijs & nouis supplementorum accessionibus, in exercitum idoneum excrescebant. Gustauus Hornius animaduerso hostium proposito, contraxerat Vstadio & aliunde copias, munitis tamen & dispositis locis præsidijsque, sicut vsus & ratio tuendi, quæ parta erant, monebat. Jmpedimenta quoque & ægri, Croniam dimittebantur, si forte de mutandis castris agitandum esset. Egressus primum Andreas Billius, cum parte equitatus Danici, Hornianos nequidquam pertrahere ad locum insidiarum conatus est: occul-

4. Sept.

occultatis apud colles peditibus. neque postridie melius successit consilium, quando totum equitatum eduxit. quippe vetus bellandi imperator Suecus, consultum minime putabat, ignotis hostium viribus temere se offerre. Rex ipse postquam venit Malmogiam, insecutâ statim nocte equites plerosque & quatuor peditum millia vrbe eduxit, primoque mane templum petijt, in colle, quem Gustauus Hornius, non nisi tormenti jactu castris suis distantem, præsidio & munitione firmauerat. cum pluuia his conatibus interceſſisset, totis viribus itum est in tumulos, qui vrbem & castra Horniana interiacebant, ibi castra Danus communiuit, excitatisque suggestibus tormentarijs, statiua Suecorum ignitis etiam globis quatere cœpit; maximo primum ac irrito impetu, qui subinde remisit. Succi parcius, nec frustra tamen machinas suas

5. Sept.

10. Sept.

ſibrabant. Dum in aduerſis caſtris ſubſiſtitur, comperit hoſtis
14. Sept. paruam manum ab Hornio miſſam, quæ ex arce Toncropiâ annonam ibi depoſitam apportaret. His intercipiendis accurrit ſubito cum trecentis quinquaginta equitibus & quinquaginta dimachis vicarius Tribuni Anefeldius: quem Johannes Wachtmeiſterus apud pontem Onſuallenſem nactus, centum interfecit, triginta amplius cepit, Anefeldio ipſo vulnerato. Jnterie&is aliquot diebus tumultuaria manus militum & agreſtium, eandem arcem, in quâ curabat Nicolaus Stephani, obſederunt. repulſi mox non ſine clade, ab Laholmienſibus, & Engleholmienſibus præſidiarijs, reliquias quoque eorum qui euaſerant, profligauit Baurmeiſterus, qui Croniâ accurrerat. idem qui celeres inde copias Erichsholmiam rapuit, ruſticosque & Chriſtianſtadienſes obſeſſores, centum

tum hominum cæde multauit. Inter ſupplementa è Sueciâ ſubmiſſa, Stalhanskij centurias Baurmeiſterus adduxerat: ſtrenuâ mox opera in coërcendo hoſte occupatus. nam aduentu Regis Principisque, ab impoſito nuper jugo paſſim reſiliebant Dani, ſyluarumque latebris abditi, latrocinijs omnia infeſtabant, neque pacta jam tributa, niſi deprehenſi ſubactique denuo, pendebant. In caſtra autem Danica promte & libenter conuehebantur copiæ, Malmogiâ etiam ſufficiente quibus opus erat. Adiumento inſuper fuere, Halmſtadienſe & Chriſtianſtadienſe præſidium, quibus auctus exercitus ita ſe confirmauerat, vt è collibus ſuis facilius noſtros infeſtaret, quam inuicem damnum metueret. Igitur cum & morbi in caſtris Suedicis in dies magis vulgarentur, nec ſpes vlla vel è mari vel à litore Jutlandico leuandi oneris ſu-

peresset, Gustauus Hornius mouere castra constituit, si forte in plana deduci posset hostis. Postquam hæc sententia animo sedit, præmissâ lixarum turbâ, ægrisque, & omni grauiore instrumento, incensis etiam à tergo castris, composito ad iter & prælium agmine, Oppagram, vicinum Lundæ locum, itum est. 27. Sept. Superandi bis fuerunt in hoc itinere pontes, Quitzlensis & Onsuallensis, distracto agmine, ac singulis prope quasi filatim incedentibus. neque tamen in occasionem suam id vertere ausus hostis, cum eminus obseruasset castra Suecorum, editioribus versus mare locis è regione consedit, deductoque quotidie in planitiem castris aduersis interiectam equitatu, imaginem præ se tulit prœlium conserere cupientis. quod non detrectabant Sueci, equestri robore præstantes, cum peditatu inferiores essent. verum

vltra

vltra velitationes & leuia certaminis tentamenta, non processum est, dum in his locis castra habentur: transiitque October mensis citra conatus grauiores: nisi quod Danos motis castris munimenta Suecorum prætergressos, insecutus cum parte copiarum Gustauus Hornius, quadringentos circiter interfecit, nec paucos, & in eis præfectos nonnullos cepit, signis duobus relatis. in quibus fuit labarum, trium Coronarum insignia præferens. notarunt enim quibus curæ est, omina casusque rerum obseruare, depugnasse illo conflictu duas equitum Suedicorum & Danicorum centurias, quibus vtrimque pictura vexilli tres Coronæ, notum, & inter hæc regna olim controuersum insigne. Ea militaribus gaudijs materies, cum coronas Danicas Suedicis succubuisse, vulgo joculariter jactarent. Periisset eo impetu totus hostium pedi-

peditatus, niſi pagum quo ſe receperat, continua ſepimentorum agreſtium ſeries, Horniani equitibus inacceſſum præſtitiſſet. Reuerſus in caſtra Hornius, cum poſtridie totas vi-
18. Sept. res exercitus promoueret, hoſti maturandi agminis cauſſam præbuit. qui Helſingborgum vſque progreſſus, poſtquam aliquot ibi diebus ſubſtitiſſet, nocturno itinere præter Croniam contendit Käflingam. Regem apud Refboram piſcatoria ſcapha tranſportauit in alterum continentem. Jnde copiarum quod roboris erat, Malmogiâ Sialandiam repetijt. neque omiſerunt Sueci carpere agmen recedentium: è quibus centum & quinquaginta præfectus Laholmiæ Petrus Ribbingius concidit, viuis etiam compluribus in ditionem redactis. Hiberna Guſtauus Hornius apud Vſtadium conſtituit. eoque Englehol-
2. Nov. miâ progreſſus Nouembri pæne medio,

medio, reliquum anni tempus refouendo militi, ædificandis operibus militiæ destinatis, & consilijs in posterum ordinandis impendit. In Hallandia apud Asebroam Fridericus Stenbockius cum suis turmis stabat, quibus accesserat Tribuni Wrangelij cohors aliaque manus. Sed hostis rusticorum rebellantium numero, itemque præsidiarijs Halmstadiensibus & Noruegicis subsidijs auctus, coëgit eum repetito aliquoties conflictu ad Birckedorpiensem in Marckiâ aditum se re- 28. *Sept.*
cipere. ibi postea finibus tuendis inuigilauit Burcardus Nicolai, optio Tribuni sex centurijs peditum, & equitibus Erici Vglanij præfectus. Stenbockius alio vocatus, in Westrogothiam redire, copijsque, quas Wrangelius Laholmiam deduxerat, receptis, limitibus propugnandis vacare, denuo jubetur. cum enim digressu Stenbockij, præfecti militum negli-

gligentius curarent, neque excubiæ qua decebat diligentiâ agerentur, Warbergâ excurrit manus trecentorum, perruptisque finibus pecora abegit, Stenbockij prædium exussit, prædamque festino regressu domum retulit. Interiora Westrogothiæ, sibique propriora, Noruegicæ copiæ nunquam non territabant: reiectæq; à Ladosâ veteri vbi munitionem excitaram Sueci tuebantur, subito in alteram partem versæ Wänersborgum petiuerunt. Situm est id oppidum ad lacum cuius nomen gerit, ex ruinis veteris Bretræ extructum; & tum in ci-
19. Iun. neres redactum: cum festinatâ deditione per ignauiam præfecti Suedici, ne tentasset quidem defensionem, adfuturis mox auxilijs, quæ Carolus Siggonis Rosenduuius & Olaus Stackius adducebant. Reddidit postea vicem hostibus Olaus Stackius, immissis, qui Vddeualliæ oppidum

&

& caſtra appoſita incendio vaſtarent. præſidiarii comperto Suecorum aduentu profugi, in recedentes demum irrita arma expediuerunt. Statim autem à Wänersborgo capto pontem in Albi ſcaphis conſtruxerant Dani apud Bahuſiam, & ſubinde tranſitum ad valetudinarium Gothebargenſe tentauerant: ſed à Gotheburgenſibus reiecti centum occiſis, nec paucis vulneratis, pontem & rates in manibus Suecorum reliquerunt. At Jemtia, cui, digreſſo Henrico Flemmirgio, Johannes Strickius præfectus erat, excutere jugum cœpit. tumultum primo excitante præfecto centuriæ Chriſtophoro Eraſmi, qui promptæ apud hoſtes audaciæ habebatur. accurrit mox è montanis Noruegiæ promiſcua turba Jemtiorum perfidiam adiutura. His cum placeret iam numerus ſuus, capto munimento, cui præerat Olaus Suenonis,

etiam

etiam præfectum prouinciæ Strickium in præcipua munitione Frœsoënsi concluserunt: atq; tertio demum mense, cum præsidium morbis maximam partem diminutum esset, ad deditionem compulerunt. Nam præfectus vigilum Laurentius Petri, qui contractam ex Helsingiâ manum, auxilio ducebat, frustra præualidum hostem apud aditum Gilbosundæ aggressus, Gimnam recessit. & abruptis passim pontibus, communitisque locis, quâ pergendum erat, ne munitio quidem apud interiora excitari poterat: cum agrestes non nisi apud limites adhiberi possent, de mille autem armatis, sexcenti tantum milites præsto essent: itaque optimum factu visum, vt munitionem limiti Borgsioënsi impositam in Medelpadiâ, Laurentius Petri, aliam apud Karbolam Helsingiæ prætentam, quam rustici defendendam susceperant, Matthias Fran-

Franckius in Helſingiâ turmæ præfectus, ſua curâ complecteretur, diſpoſitæ etiam alijs locis regionum, quas dixi, & Angermanniæ, ſtationes: ne Jemtiâ recuperatâ hoſtis ditionem Succorum illac turbaret. Eodem fere tempore in Daliâ, Dani à Noruegiâ multa conabantur, ex munitionibus contra hanc prouinciam poſitis præſertim ad Magnorabroam. Sed promte ad omnia occurrit exſomnis ſtrenuitas Olai Stackij, nunc pugnâ, nunc immiſſis Noruegiæ invicem globis, hoſtem vlti. illud ipſum Daliæ oppoſitum munimentum Magnorabroënſe, cum minore alio, immiſſa per inuia ſyluarum ac paludum manu equeſtri, ductoribus Guſtauo Stackio & Juaro Baggio, oppreſſit, ſoloque æquauit, ſeptuaginta quinque militibus interfectis, quatuordecim captis, præter præfectos, & tormenta, militaremque apparatum.

quæ omnia incruentâ prorsus victoria in potestatem venerunt. Verum postquam vis non successit, Daliam arte attentauit hostis, dispersis & per occultos nuntios insinuatis schedulis, quæ tributum offerentibus amicitiam, detrectantibus vltima denuntiabant. Quo ne caperetur dolo incautum vulgus, propere accurrit ex Wermelandiâ Olaus Stackius, omniaque, sicuti res & tempus monebat, disponit. Sed mox infelici nuntio reuocatur. Ingruentes
18. Nov. enim ex Norvegiâ Dani, munimentum, cui à paludibus nomen,
Moraßfang. præcipuum Wermelandiæ propugnaculum, cum omni instrumento militari ceperant, abductis in captiuitatem, qui præerat Petro Bondesonio & alijs. Satis constat teneri potuisse opera, si strenue pugnatum fuisset. Sed rustici præsidium vna cum militibus agitantes, abiectis armis fidem & virtutem projecerunt. Præfecti

tamen

tamen potior culpa, neque vllis coloribus excuſanda fuit. Hinc ſingulis prope diebus certatum apud limites Wermelandiæ aduerſum irruptiones hoſtium: donec cunctis viribus ingruentes, poſt dici totius pugnam, in qua plures aduerſariæ partis cecide- 22. Dec.
runt, non potuerunt ſuſtinere Sueci, ſed paululum recedere coacti ſunt: & ſubinde hoſtem, qui copias ſuas ab hoc ſucceſſu in Marckiam borealem promouerat, apud idonea loca coërcuerunt. Apud Gotheburgum Danicæ naues non deſinebant inſidiari temporibus. ex ijs quinque fugauit claſſis Geeriana, 2. Aug.
compoſitis turbis nauticis, mari reddita. eademque operâ recepit ſociam nauem Matthæum, tertio jam menſe in illo portu à Danis concluſam. Aucta ergo duabus eximijs nauibus (nam apud Alborgum quoque vnam Danorum interceperat)

cursum intendere ad portum Chilonienſem parat. Eo enim pridem jusserat ire Torstenſonius, vt Danorum classis Flemmingium tum obsidens media inter duas Suedicas deprehenderetur. Sed maior quidem classis, cui Flemmingius ab initio præerat, jam euaserat. Minor autem, à Geerio conducta, primo per fretum Oresunticum, inter mutuas tormentorum disploſiones: mox,
10. Aug. cum duces maritimi itineris Saltholmiæ circumeundæ deesſent, inter duos pontones illos Danicos, fulminibus Martijs horribiliter sæuientes, innoxio sed audaci, & qui arcana Balthici freti tentaret, an euulgaret, transitu euecta est: indeque cum decem nauibus Danicis congressa, pæne à triginta amplius alijs, ad Monam insulam stantibus, circumuenta esset. Quærebatur classis maior vario per mare discursu, donec è Suecia repetendam consilirit. Ca-

rolus

rolus enim Gustauus Wrangelius, nondum expleto mense altero, postquam è conclusione Chilonensi domum reduxerat classem, portu Daleroënsi denuo profectus Calmarniam tenuit: Geerianasque naues annonæ sufficiendæ, alijsque rebus apparandis illuc appulsas assumsit. hinc Bornholmiam, porro Monam itum est reperiendi hostis caussa, quem cum inter Wismariam & Femeram stare allatum esset, Wismarienſi ex portu tres naues, cum incendiaria vnâ præfectus classis Suedicæ asciuit: compertoque inter Langelandiam & Lalandiam infra Femeram insulam stare classem hostium, die tertio, vt primum ventus non repugnauit, in conspectu habuit sedecim naues longas & vnam à Galeæ vocabulo nomen sortitam. Ne consereretur illo die prœlium, orta tempestas intercessit, totoque etiam postero die tenuit, tu-

28 Sept.

6. Octobr.

7. Octobri

9. Octobr.

11. Octob.

12. Octob.

endis nauibus potius, quam instruendâ acie occupatos. Insequente nocte tranquillitas mari redijt, atque sic proximus dies in certamen placuit. Sublatis itaque ancoris, Danicæ naues primum recedere cœperunt; ascituræ, quas tempestas paulum distraxerat. Sed cum propinquare Suecos cernerent, conuersæ sunt tormentis primo illo congressu grauiter vtrimque detonantibus, cumque maiores nauium, ventum captarent, minores ad vada declinarent, illæ quidem ad stataria pugnam compulsæ sunt; hæ in minorum nauium classem, quæ Martinum Thysseníum præfectum habuit, inciderunt. quæ captis quatuor, ceteras effuse fugientes persecuta, quatuor vadis impegit; ac, elapsis tamen scapharum beneficio hominibus, detraxit. vnam prope litus consecutus Delphinus, incendiaria nauis, exussit. Tres in breuibus obhæren-

rentes, tormenta & sclopi maiores è litore, ne abriperentur, aut incendio delerentur, propugnarunt. duæ nuntium cladis Hafniam retulerunt. E tribus maioribus Prætoria præfectum totius classis Prosmundum vexit, qui statim cæsus, nec agnitus à Suecis, in mare proiectus est. In eâ, quæ proximo gradu fuit, cum ignem concepisset; præfectus Grabouius, eminentia proræ amplexus, indeque saltu demissus seruari potuit. Vicaria capta Stanislaum Jasmundum tradidit. Ita venerunt in potestatem decem egregiæ, insignibusque tormentis instructæ naues, cum præfectis plurimis, gregarijs autem mille circiter. Jnter captos Cornificius quidam Vlfeldius, cui tormenti pilâ crus ablatum, tertio post die decessit. Prœlium non pro magnitudine victoriæ atrox fuit. Danicæ enim naues, si illas excipias, quæ statario certamine

tèmine conflixerunt, fugâ inconsultâ partim in breuia se concitarunt, cum seruari possent; partim ne ausæ quidem sunt, quamquam infirmioribus nauibus resistere. Quo factum est, vt ex minoribus nauibus vna, duas Danicas caperet: & quam Thyssenius assequi velificatione non poterat, emissâ actuariâ suâ naue, adortus statim sine vllo certamine occuparet, quamuis viginti & octo tormentis metallicis armatam. Caussa pauoris & infortunii apud Danos, vel quod excubandi potius, quam pugnandi proposito in ancoris stantes, duplici Suecâ classe, & inopino præsertim alterius regressu, deprehendebantur: vel quod, euocatis ad terrestrem militiam copijs, ne nautici quidem roboris tantum relictum erat quantum nauibus tormentisque tractandis debebatur: cuius rei inuidiam inter primores Daniæ viros nonnemini

impoſitam conſtat. Cæſorum & vulneratorum in vtraque Suedica claſſe numerus, exceſſit ſexaginta: in quibus optiones nonnulli. In Hollandia conductam nauem vnam, cui à nigro ſerpente nomen, Danica trium Leonum ſignum & nomen gerens, depreſſit; conſeruatis tamen omnibus vectoribus. Armamenta nauium læſa, negotio non magno refici potuêre. Id ſaltem infeliciter cecidit, quod cum huius rei gratiâ poſt prœlium in portum Chilonienſem iretur, multæ naues ex vtraque claſſe, ad vadoſa loca ſubſtiterunt, indeque decreſcentibus aquis, non niſi poſt decimum quartum diem, licet onere leuarentur, auelli potuêre. Acceſſit annonæ defectus, & morbi inter nauticos vulgati, tum minus in hiemem præceps, illæque cauſſæ, quibus fructus victoriæ naualis citra deſtinata ſtetit. Hoc enim tempus videbatur inuadendæ ali-

cuius insulæ, aut freti Oresuntici occupandi, distrahendique ex Scaniâ Regis Daniæ. Sed interuersis sicuti dictum est, his consilijs, naues captæ in portum Wismariensem deducendæ, majores duæ in Sueciam dimittendæ erant. cumque ne sic quidem omni proposito priori sibi temperaturus Wrangelius Hafniâ tenu processisset cum suâ classe, leuatum jam onere Gustauum Hornium, egresso è Scania Rege, pontones quoque Danorum reducto intra præsidia & naues exarmata comperit: atque adeo Wismariam hiematum reuertit. Hunc virum, præter vsum rei militaris & indolem excelsam, singularibus stimulis excitat & gubern Fortuna Reipublicæ, ad meditandas & conficiendas res posteris admirationi futuras. Man consilio, industria peræque prontus, quicquid munerum operumque suscepit, tractando illustr

Ad ſummas dignitates per meritorum ingentium gradus aſcendenti, non aliena tantum exempla incitamento, ſed ſua decori & adiumento fuerunt. Vix præfectus erat tantæ claſſi, cum rudimentum noui imperij, victoria fuit, quam raritate inſignem, fructu vberrimam, nemo dubitauit. Jbit hoc fato in gloriam omnis æui Caroli Guſtaui Wrangelij nomen, vt ſucceſſor ſummis viris datus, omnium ipſe ſucceſſorum virtutem prouocare nil cunctetur. Claſſem minorem in Hollandia conductam Thyſſenius, Anckerhelmij nomine in poſterum noſcendus, poſtquam inter alia præmia fortis fidelisque operæ, etiam equeſtri dignitate à Regina donatus eſt, à Chilonienſi portu in Belgium reducere parabat: expoſitis militibus, annonæ leuandæ, quos Carolus Guſtauus Wrangelius ſtatim in Jutiam, ad Tribunum Helmoldum Wrangelium

lium transmisit. Sed cum Thy
senius in itinere comperisset, a
Christianiam in Norvegia con
plures naues stare, quas sax
oneratas portui Gotheburgen
corrum pendo Rex destinaret, ij
que veluti præsidio additas oct
naues Danicas, præfecto Ot
Gieddio portum Gotheburge
sem, & in eo tres Geerianas na
ues obsidere; cursum huc direxi
superuenturus incautis. Sed Da
ni pridie moniti Masterlandian
petierant. Satis autem appare
bat, digressâ classe illa in Hol
landiâ conducta, rediturum a
perficienda destinata hostem i
quem, quia deficiente paulatim
annonâ & repugnante anni side
re nihil tentari potuit, constitui
Anckerhelmius octo maiores sua
rum nauium, cum tribus Geeria
nis, hactenus obsessis in portu
Gothoburgensi relinquere, præ
futuro Henrico Gorizemio, qui
proximum ab Anckerhelmio in
hac

hac classe gradum obtinebat. Disturbauit hoc inceptum rebellio classiariorum, qui in quatuor ...enses conductam suam operam, nunc vltra septimum attigeri questi, negabant se alterius ...ctu, quam Anckerhelmij vsurus. Js igitur re cum præfecto ...otheburgensi consultata, receptis in classem quadringentis militibus, quibus Tribunus Gordonius præerat, omnino adoriri naues Danicas nouem (nam accesserat vna,) apud Masterlandiam stantes, decreuit; peracto negotio cum tota classe patriam repetiturus. Reflabant odiosius venti; nec maritimi itineris duces ad manum erant. hostis quoque re comperta vires & consilia ad resistendum strenue comparauit. Quare depulsus eo proposito Ankerhelmius, multo labore impendioque (nam stipendium ministruum auctum, & in bimestre tempus prænumeratum est) qua-

quatuor naues ad manendum induxit, cum tribus Geerianis hosti opponendas: ceteras domum contendentes ventus aduersus primo detinuit, deinde vltra Schagam tempestas adorta, omnes
2. *Dec.* distraxit, laxatis vteri compagibus, confractis malis, velis antennisque; nautis quoque male multatis, vehementer periclitantes. Paulatim Schagæ, hinc Gotheburgi recollectæ sunt, vbi tres ad nauigandum penitus ineptæ hibernare cogebantur, socijs quos vehebant in alias reparatas distributis.

LIBER III.

Pacis tentamenta. cui reconciliandæ Rex Galliæ & Fœderati Belgij Ordines suam operam offerunt. Legatus Gallicus in Daniam primo, inde in Sueciam proficiscitur. Belgij duplex lega-

legatio. Decernitur congreſſus apud limites Regnorum Brômſebroënſes. Regina Sueciæ in tutelam ſuam peruenit, & regnum ſuſcipit. Status Sueciæ per excurſum deſcribitur. Helmoldi VVrangelij virtus & celeritas in Jutia & Holſatia. Riparum expugnatio, & Mortaignij cædes interponitur. Königsmarckius ad Bremenſe bellum reuerſus, capto ex itinere Hornburgo, Stadam, Buxtehudam, Bremeruerdam, Otterbergam, Rodenburgum, omnemque Bremenſem ac Verdenſem Archipiſcopi agrum in poteſtatem redigit: & ad Germanicum bellum regreditur. Helmoldus VVrangelius, Rensburgum obſidet. Guſtaui Hornij conſilia. Suecorum pugnæ, victoriæ, & damna, in Dalia, VVermelandia, VVeſtro-Gothia: cui tuendæ Laurentius

Kaggius

Kaggius præponitur. Gustauus Hornius classem è Suecia maiorem expectat: quæ ductu Erici Rynningij serius venit, & cum altera, cui Carolus Gustauus VVrangelius præerat, coniungitur. Insidiæ in classem VVrangelij detectæ. à qua Bornholmia occupatur. Tertia classis, in Belgio conducta, redit ad Gothoburgensem portum liberandum, quem Danica classis obsederat. Gustauus Hornius ad Malmogiam iterum copias admouet. Classis Hollandica ductore Corn. VVitteníj, ambigue se gerit. Hannibalis Sestedij effusas è Noruegia in VVestro-Gothiam copias, Laurentius Kaggius reiicit, & in Norwegiam persecutus, Bahusiæ arcem obsidet. donec hostilia omitti jubentur, pacis interuentu. Historia pacificationis in vnum conducitur. congressus partium &

seque-

ſequeſtrium apud Brômſebroam. Proponitur à Suecis tractanda nauigandi & commercandi libertas atque immunitas, ſcripto comprehenſa. Dani, primum nihil quod ad rem pertineret, poſtea iterato Suecorum ſcripto, acerbe reſpondent, Regique ſuo jus irrefragabile in Oreſunda arrogant. Ea lis intempeſtiue mota pæne omnem negotiationem pacis diſcuſſit donec poſt multas moras, quæ ab initio propoſita erant, diſquiruntur, & componuntur. Interſeritur Duiis Holſatiæ legatio ad Commiſſarios Suedicos: Johannis Skyttij mors. Torſtenſonij Jancouienſis victoria. Proceditur ad negotiationem ſecuritatis. inter quam, Belgici Legati depoſita tandem ſequeſtrium perſona partibus Suecorum accedunt. quibus Dani pactionem ſeorſum offe-

runt. cum pæne ad exitum ſpectarent graues de ſecuritate & compenſatione diſputationes, Archiepiſcopi Bremenſis cauſſa negotium faceſſit, & ad peculiarem negotiationem denique remittitur. Inducię fiunt; dum pacta perſcribuntur: quorum ſumma refertur. Traduntur inuicem pacta, repetito ſolleinni congreſſu Brömſebroënſi. Dimiſſis Legatis Hanſeaticis, Suecos inter & Belgas fœdus renouatur. Cancellarij Oxenſtiernæ reditus in patriam. Implentur, quæ conuenerant.

CVm ad hunc modum pari vtrinque ſtudio bellum gereretur, non defuerunt, qui conſilia & ſpem pacis Regnis his vicinis, & variâ neceſſitudine junctis commendarent. Et Sueci quidem initio ſtatim belli, non minus ſe paci, quam armis paratos

tos declarauerant, si causſæ belli exſcinderentur. indeque Senatores Daniæ literis Othoniâ ad Senatum Sueciæ ſcriptis mentionem habendi apud limites congreſſus iniecerant: non detrectantibus Suecis, ſi ſeriô ſecum agi, litesque de nauium ſuarum immunitate, ac libertate nullo jure motas omitti cernerent. Præualuit deinde armorum cura: donec Rex Galliarum & Ordines Belgici ſuam in reconcilianda inter diſſidentes pace operam, miſſis extra ordinem legatis, offerrent. A Galliâ hoc muneris impoſitum eſt Caſparo Coignetio Thuillerio, pluribus jam legationibus prudenter & feliciter functo. Is Hafniam profectus Regem ſatis alienum à conſilijs pacis reperit. Jactas etiam voces conſtat, quibus Gallicum nomen federe Suecis junctum, dirimendis litibus non ſatis æquum putaretur. Sed mitigato meliori-

9. Febr.

2. Mart.

bus consiliis Regis animo, valuit auctoritas Legationis, quantum ad tentandas pactiones attinet. In eo frustra fuit Legatus, quod Regem tum aduersus classem Flemmingij velut in decretorium certamen, constitutis domi rebus, exire parantem, grauibus consiliis dehortatus est: ne seque & rempublicam in casum daret, intermoriturâ, si quid secius accideret, omni spe pacis. Rex enim classe suâ satis confisus, nec Selandiam, in qua præcipuum spei habebat reliquum, aliter defendi posse caussatus, exiuit, sicuti ante ostensum est. E Daniâ in Sueciam venit, Thuillerius, Holmiæ exceptus à duobus Regni Senatoribus die mensis Julij
26. Iul. vicesimâ quartâ: admissusque apud Reginam, in hanc sententiam verba fecit: Regem Galliæ & Reginam Matrem, pro singulari in rem Suecam studio affectuque plurimum dolere, ex quo com

compertum sit, duo vicina Regna, quæ hactenus in communi Europæ perturbatione quietem agitauerint, nunc non sine intertrimento pacis publicæ à tot gentibus desideratæ, inter se bello collidi. se itaque jussum omnes pacis restituendæ vias indagare, nullo Galliæ lucro, nisi quod Suecorum incrementis ob rationes publicas priuatasque faueret: idque hac ipsâ reconciliandæ gratiæ industriâ testatum cuperet. Eadem literis ad Reginam Sueciæ & Cancellarium Regni scriptis continebantur. Responsum: gratam Regis amici solicitudinem de concordiâ Septentrionis. Suecos quanquam immaniter lacessitos, & ineuitabili necessitate in bellum pertractos, in gratiam tanti sequestris non recusare pactionem, nisi Regi Daniæ diuersa placeant. Ageret Legatus, quæ in rem essent: & cum Gustauo Hornio, circa hoc ne-

gotium mandatis inſtruendo, conficeret præuias conſultationes. Ita in Daniam redijt Thuillerius; remanentibus Holmiæ Belgicis Legatis, qui pridie antequam Gallicus vrbem Holmiam ingreſſus erat, Gotheburgo aduenerant. Ordines enim Belgici eo animorum habitu, quem ſtilo ante ſignauimus, tres in Sueciam Legatos Jacobum Wittenium, Andream Bickerum, Cornelium Stauenisſium: itemque tres in Daniam deſtinauerant: Gerhardum Schaepium, Albertum Sonchium, Joachimum Andreæ: cum his exibat claſſis viginti & nouem nauium bellicarum, cui præerat Wittenius Wittenij, quaſi præſidio futura trecentis viginti & octo mercatorijs. Stetit primo in freto Oreſuntico, ſed negantibus Danis, ferri poſſe inſolitum numerum nauium bellicarum tali loco, egreſſæ ſunt in mare occiduum ceteræ, ſex tantum, vbi cœ-

cœperant consistere, remanentibus. Etiam apud Gotheburgum Danorum insolentiam perpessæ sunt naues, quæ Legatos vehebant, classe illuc aduectæ. præter moras obiectas, inquisitum est, si inter comites illorum Flemmingij filius peregre redux lateret. Holmiæ non alia fuit eorum oratio, quam Legati Gallici. additæ Ordinum literæ & Principis Arausionensis. Thuillerius ex Daniâ regressus, in castra Gustaui Hornij venit, quinto die Octobris, Regemque Daniæ, Justino Hoegio & Detleuo Reuentlouio potestatem dedisse retulit agendi de iis, quæ ad auspicandam transactionem præmolienda erant. Agentibus ergo inter Hornium & Danicos illos Cancellarios, Legatis Gallico Hollandicisque tribus in Daniam destinatis, conuenit: vt quatuor vtroque ex Regno Senatores plena paciscendi potestate instructi inter Calmar-

27. Iul.

29. Octob.

niam & Christianopolim apud Brömsebroam, qui vulgo limes Sueciæ Daniæque habetur, decimâ quartâ Decembris die congrederentur, securitasque liberrima, loco, personis, negotijs vltro citroque expediendis præstaretur. Hæc securitas, quâ circumcirca locus congressus muniebatur, à duobus milliaribus, postea ad sex milliaria ampliata est, tempusque mense vno pro-
20. & 29. Decembr. latum; subinde octauo Februarij die definitum est. Nam Regina Sueciæ suscipiendo imperio,
3. Decemb. quod impubi eius ætate hactenus præcipui proceres administrarunt, occupata, eorum præsentia opus habuit, qui litibus componendis Legati erant lecti: nec tantam festinationem ætas Legatorum & tempus anni, aliaque eiuscemodi ferebant. Res hortari videtur ipsa, vt, quæ Regni apud Suecos suscipiendi habendique leges, qui mores, quæ in-

stitu-

ſtituta, vſque ad hoc temporis obtinuerint, paucis repetam. Sueciæ ab ultima vetuſtate Reges, pro amplitudine & diuerſitate nationum plures, ſed, ex quo certior memoria Arctoi orbis prodi cœpit, vnus præfuere. Loco libertatis erat, non naſci, ſed eligi imperaturos populi nomine & votis, adhibito delectorum procerum conſilio, in prato Moraenghio, conſtitutus ſuper ſaxum (Moraſtenium vocant, cuius fragmenta inſcriptis literis antiquis viſuntur,) nouus Rex magna confluentium frequentia deſtinabatur ac ſalutabatur: donec Vpſaliæ impoſitâ coronâ, quod ſolennitatis reliquum erat, celebratum eſt. Præcipuum electionis conſilium & robur, in eo, vt inſignes virtute, indigenæ, & regia, ſi pote, ſtirpe geniti ad faſtigium tantæ maieſtatis proueherentur. Sed inter gentes, ingenio acres, armis ſtrenuas, ani-

mo generosas, multa potuerunt euenire, quibus in diuersum tracta studia, rem omnis æui experientia arduam, difficiliorem indies redegerunt. Dici non potest, quantum mali in rempublicam inuexerit discors, & factionibus, contentionibus, tumultibus inquieta electio: Imprimis postquam nullis aut imbellibus jam remedijs, sæculo sesquialtero damna damnis, pericula periculis continuabantur. Inter quæ illuxit faustum populis sidus, Gustaui Primi singularis & vere regia indoles, recreandæ ex longis calamitatibus & erigendæ ab interitu patriæ genita, DEIque propitia in rem Suecam consilia toto vitæ regnique tempore luculente confessa. Eius Regis merita, depulsa præsertim à ceruicibus publicis sæviſſima Christierni tyrannis, & ordinata ex perturbatione immani respublica, admonuerunt Suecos, vt suæ securitati

ritati rectius consulerent, & antiquato electionis periculosæ ritu, legem successionis, juxta lineam agnationis naturali ordine seruandam & supplendam, Orebroënsibus primum comitijs, subinde Arhosiensibus pleniſſimè sanctiſſiméq; constituerent. Unio Hæreditaria ipsis vocatur, qua Regnum Sueciæ translatum est in familiam Gustaui eiusque posteros, ita, vt deficiente vno, subiret in locum alius ex Regia stirpe, à linea ad lineam, ut quisque proximus esset. Jnstaurata denuo hæc Lex, Comitijs Norcopiensibus, Carolo IX. Regi, Gustaui Primi filio tertio, Eiusque posteris accommodata est. Cumque procedente tempore non satis vulgo quidam intelligerent, quæ jus hæreditarium fœminarum ad regnum & successionem spectant, repetita & confirmata est, in Comitijs Holmiensibus in hanc sententiam; vt Gustaui Adolphi filia

1604. 22. *Mart.*

1627. 24. *Dec.*

filia Christina, si absque legitima prole mascula Is decederet, patrio in solio collocaretur. Hic est Gustauus Adolphus, cui merito cognomen Magni, non popularium tantum consensus decreuit, sed omnium iudicia nationum affirmant. Regnum accepit à patre Carolo IX. sibi relictum, ipso belli Danici tumultu flagrante. Ex quo, cum se, vti tempora patiebantur apud ex nec opinato oppressos, expediuisset, ea deinde victor gessit in Polonis, Borussis, Liuonis, Moscis, quæ Heroicos spiritus, prudentiam exquisitam, fortitudinem miraculo proximam abunde demonstrarent. Sed maioris tamen operis restabat moles in bellicosissima terrarum Germania. Quo in statu tum fuerint, qui DEO & Reipublicæ viuere, vt diuina & humana lex postulabat, vetabantur, non est huius loci ordiri. Conuersa est subito fortuna, succubuerunt

bueruntq; Regi maximo, firmiſſimi exercitus, peritiſſimi Duces, validiſſimæ opes. Reſpirabat in Germania libertas, & religio; reique Suedicæ ſecuritas & gloria indies augebantur: cum in ipſo ætatis vigore ac tantorum ſucceſſuum curſu Lützenſi acie fortiſſime dimicans occumbit Guſtauus Adolphus, ſuisque partibus magnam ſane victoriam, ſed deſiderium longe majus relinquit. Tum ergo à metu luctuque ad curam Reipublicæ non ſine fatali quadam virtute mentes verſæ, domi forisque operam ſedulo & feliciter nauant, ne quid de contextu conſiliorum operumque diuinitus ſuſceptorum diſſolveretur. Succeſſio Chriſtinæ optimi Regis filiæ, iterum ab vniuerſis Sueciæ Ordinibus firmatur: Tutores impubi eius ætati, & Regno adminiſtratores dantur, Viri ſummis meritis toto orbe illuſtriſſimi, Regio & Regni nomine,

1632. 5. Nov.

1633.

mine, vt vocant Senatores ac præcipuis dignationibus impositi, Gabriel Gustaui Oxenstierna, Droctus; Jacobus Gardius, Marschus, seu supremus militæ præfectus, Carolus Gyldenhielmius, Ammiralius, seu supremus classium & rei naualis moderator; Axelius Oxenstierna, Cancellarius, Gabriel Benedicti Oxenstierna, Thesaurarius. Quinque sublimia in Regno munera vocantur; quibus qui præsunt, quotiens per absentiam, aut valetudinem, aut mortem Regis, Filij aut Filiæ, cui successio debetur, ætas, tutela; Regnum administratione opus habet; Tutores, & Regni plena cum potestate administratores constituuntur. Ne quid ergo Respublica tam periculoso tempore detrimenti caperet, certa regiminis forma proposita, & vniuersorum Regni Ordinum de-
1634. creto approbata est. Gustaui
29. Iul. Adolphi Regis memoria valuit,
vt

vt facile omnibus placeret, quod tanti auctoris ingenio auxilioque tribuebatur. Et sane fatendum est, tam præclaras regendæ Reipubl. rationes, & olim in Suecia institutas, & tum perscriptas esse, vt non parum feliciratis & gloriæ Sueco nomini ab hac origine natum partumque existimari debeat. Juris Regij prima & summa ratio, Regno auctoritatem, negotijs vim ac spiritum conciliat. Rex autem non per ambitiosa certamina quæsitus, sed saluberrima lege successionis, vt ante demonstratum est, auito solio impositus, Religioni ex puris verbi diuini fontibus hausta, ac symbolis Ecclesiæ Catholicæ, vt & Augustanæ Confessionis formula comprehensæ, & ipse studet, nec aliter sacra in vniuerso Regno fieri patitur. nulla ibi factionum ex diuersis ritibus nomina, nullæ lites. cærimoniæ templorum ad maiestatem diuini cultus

tus & ardorem pietatis bene compositæ spectantur. Consilium Regi interius, & quasi cotidianum viri, genere ac meritis publicis eminentes, numero, qui videtur rebus ac temporibus convenire, Senatores Regis & Regni appellantur. hos suo arbitratu Rex assumit, & ad proximum suæ maiestati fastigium admovet. Viginti quinque his temporibus erant; in quibus etiam supremorum quinque munerum honores ante nominati, recensentur. Consilij amplioris instar habent, Comitia, quæ Rex, quotiens vsus est, indicit: coëuntibus quatuor Regni Ordinibus, ex Nobilitate quidem, Comites, Barones, Equites, alijque Sueciæ ac Finlandiæ Nobiles; ex Cleri corum Ordine Episcopi & Superindentes Sueciæ ac Finniæ, cum duobus cuiusque Capituli Collegis, & pastore vno ex binis quibusque districtibus; ex Ciuibus

Consu-

Consulum vnus, cum Senatore aut viro primario cuiusque ciuitatis; ex Rusticis, unus de quouis districtu Sueciæ ac Finnlandiæ, congregantur: accedentibus etiam cuiusque prouinciæ Tribuno militari, cum suo legato, & qui tertio loco curat, itemque centurione & præfecto de quauis cohorte prouinciali. Vbi Rex proposuit consultanda, in suo quisque ordo senaculo deliberat. dicuntur libere sententiæ, ac tandem perscriptæ recitantur. Interea Regis & Regni Senatores, ciuili admodum temperamento inter Regem & Ordines positi, consuluntur, & consulunt, atque ita moderantur negotia, ut exire possit decretum Comitiorum, Legis authoritatem apud omnes habiturum. Audiuntur etiam in Comitiis desideria Ordinum, magno libertatis ciuium quorumcunque argumento. Est & in subitis arctioris conuentus

uſus, qui Ordinum tamen authoritatem habeat. Cæterum negotiorum ſimul & officiorum ac magiſtratuum varietati diſtinguendæ, ordinandæque, quinque Collegia deſtinantur. Juſtitiæ primum eſt, quo, pro amplitudine imperij, quatuor Tribunalia Regia, Holmienſe, Jenecopienſe, in Suecia; Aboenſe, in Finlandia; Dorpatenſe, in Liuonia continentur. præſidet ſingulis Senator Regni, & Holmiæ quidem Drocetus; conſidentibus ex nobilium ac ciuium ordine delectis. nec detrectare cuiquam horum Judiciorum auctoritatem fas eſt. niſi quod ad vltimum Regis examen & recognitionem reuocari cauſſa poteſt. Jnferioris ordinis Judices, paſſim conſtituti, his quatuor judicijs Regijs rationem quotannis reddunt ſuæ jurisdictionis: ſecundum Collegium, cui Militaris Conſilij nomen, Præſide Regni Marſcho, quic-

quicquid ad copias equitum, peditum, delectus, arma, munimenta, tormenta, structuras operum, omnem denique bellicum apparatum per vniuersum Regnum, subjectasque ei prouincias attinet, suâ curâ & dispositione complectitur, & jurisdictione militari gaudet. Tertio Collegio, Naves & omnis copia naualis, cuius magnam rationem haberi par est, præside Ammiralio Regni, committuntur. Quarto Collegio Cancellarius Regni præponitur: ad quod referuntur, quicquid est hominum rerumque, ad tractanda conficiendaque negotia publica spectantium; tum sigillorum & monumentorum, omnisque scripturæ ciuilis cura. Quintum Collegium Fisco & Ærario studet, præsidente Thesaurario Regni; in reditibus colligendis, augendis, insumendis; in fide publica conseruanda, in subsidijs regno parandis. Accedunt

dunt & alia munerum publicorum genera, quæ rebus ſingulis ordine ac ſtrenuè tractandis inſeruiunt; tum præſertim prouinciarum regimen, Caſtellanis & Toparchis partita curarum & miniſteriorum deſcriptione permiſſum. Militiæ admirabilis eſt diſpoſitio: cui vix quicquam in Europa de hoc genere comparaueris. Jta opus eſt in ea gente, cui è manibus arma deponere raro licet. Hinc Ruſſi, nunquam bona fide quieti, pacis fœdera & jurisiurandi religionem ex quauis occaſione conculcant: illinc Poloni ipſum Sueciæ ſceptrum iniquiſſima contentione affectantes, bellum totiens renouant. Accedit ſitus, Danico Noruegicoque limiti vel obuerſus, vel immixtus: cum præſertim antiqui Sueciæ fines in medio freto Oreſuntico deſcripti, poſtquam in citeriora redacti ſunt, multis controuerſijs occaſionem dederint: neque

fere

fere diuturnum ab infesta vicinia otium contigerit. Sumenda & pro alijs arma. nonne enim magni Germaniæ Principes, sanguine, affinitate, religione Regibus Sueciæ junguntur? Quibus rebus efficitur, vt pax & securitas neque sperari, neque conseruari possit, nisi bellicæ virtutis præsidio studiosissime omnia muniantur. Armorum officinæ, omnisque instrumenti & apparatus militaris copia, vnde non Suecia tantum, sed exteri etiam populi instrui possunt. Domi legiones pe- Regiment.
ditum viginti, totidem Tribunis parentes; per Sueciæ & Finlandiæ prouincias, quarum & nomina participant, distributæ, accurate supplentur. & in pace ad munia militiæ exercentur. Equitum singulis prædia attributa sunt, vnde & ipsi & equus aluntur. ita octo firmissima equitatus Suedici & Finnici agmina, quæ hodie non alia, quam pedites appella- Regiment.

latione ſolent numerari, ampliſſimis regionum terrarumque ſpacijs commode ſubſiſtunt, & ad ſubita belli præſto ſunt. Magna illis armorum equorumque cura; &, vt militariter ornati conſpiciantur, quotiens recenſionis & probationis cauſſa cocunt, ambitio. Delectus frequens, nouandis ſupplendisque viribus habetur; quo octo aut decem ruſtici vnum idoneum militem præſtant: ſedecim autem vel viginti eorum, qui nobilibus ſubiecti ſunt, aut prædia privilegio munita colunt, idem faciunt. Jta lectis & tonſura capillorum ſignatis centuriones diſciplinam armorum tradunt, ruſtici pagani victum, & in expeditionem euntibus, viaticum commeatumque ſubminiſtrant. Vrbium munus eſt, nautas ſuppeditare. Fidem, conſtantiam, laborum tolerantiam, robur, Succi militis nc longius eatur, poſtrema bel-

la,

la neminem ſinunt ignorare. Quot & quanti Duces ex Guſtaui præſertim Magni diſciplina prodierint, iſta potiſſimum tempora docuerunt, quibus orbatam tanto Rege & Patre Chriſtinam, priſtina virtus & felicitas adeo non deſtituit, vt perpetuis victoriis, inclytum nomen adepta, incomparabilis Reginæ gloriâ cenſeretur, antequam pubertatem attigiſſet. Magna ergo fuit eius dici ſpecies & lætitia, cum expleto ætatis anno octauo decimo, ipſo die Natali, in fine Comitiorum Holmienſium, Regni adminiſtrationem ex manu tutorum, quos ſupra commemoraui, ſolenni ritu ſuſciperet. Collocatam in Regio ſolio Reginam reuerenter adierunt, qui hactenus Reipublicæ præfuerant, cum cæteris Senatoribus; & voce Cancellarij, vt imperij regendi onus, legitima jam ætate ſubiret, rogarunt; depoſita vicaria dignitate,

1644. 8. *Dec.*

tate, obſequia ſua profeſſi, & præclare in poſterum ominati. Reſpondit Regina decore & appoſite: & ſubinde per Cancellarium Ordinibus gratias egit, qui nunquam hactenus obſequio aut forti fidelique opera Reipublicæ defuiſſent; vtque in poſterum quoque, ſicut bonos ciues decet, ſe adhiberent, de ſuo in omnes & ſingulos ſtudio benigne pollicita, admonuit. Admiſſi mox ad oſculum Regiæ manus libandum, gratulationes & vota, magno animorum motu, profudere. Non poterant ſegniter affici, qui veriſſimam tot regum ſtirpem, auitas animi dotes, generoſa oris dignitate vltro confeſſam, intuebantur. Oculorum acies, paterni vigoris æmula, humanitatem eximiam grauitate rectiſſima temperabat. eloquentia prompta, nec vulgaris, hæreditarium & ipſa bonum. Indoles vero, quam vix capere fas eſt, nedum laudare.

magni-

magnitudo animi, consilium, celeritas cogitationum, judicandi de quibusuis rebus sollertia, prouidendi dexteritas, omnis ætatis ac memoriæ clarissimis exemplis comparanda. Assiduitate laboris, sexum; cupidine benefaciendi, sæculum superauit. Regijs occupationibus non laxamentum, sed præsidium litteras adhibuit: tantum Græcæ Latinæque eruditionis, nec vulgarem in modum, indies cumulans, quantum ne animo quidem concipere possunt, qui non nisi fama tradente accipiunt. Gallica lingua libenter & eleganter vtebatur: cui postea Jtalica accessit. Parum somno tribuebat temporis, remissionum parca, deliciarum in victu fugitans. Quicquid in aliena prudentia pulcrum æstimabat, partem statim redigebat suæ. maximis publicisque rebus in illo ætatis flore abunde sufficiens. Justitiæ amorem cal-

lido æquitatis moderamine gubernare, arrogantes arguere, modeſtos attollere, peritos rerum, arcanis ſapientiæ; elegantes, gratiarum ingenio imbuere; deprehendere obſcuros; dictorum venuſtate ſeria jocosque honeſtare, paucos principum æque dixeris calluiſſe. Hæc igitur erit deinceps aula, in qua omnis Regiæ maieſtatis ſpecimen viſetur; hic quod mirentur exteri; hic quod reuereantur amentque ciues habebunt: Eminebitque nomen Chriſtinæ, in apice & faſtigio laudum Suedicarum, donec vlla rerum memoria durabit. Sed redeundum eſt ad hiſtoriæ ordinem, & in alterum continentem tranſgrediendum: vbi autumnum, & hiemem totam, id eſt, huius anni finem, & ſequentis
1644. initium, ſtrenua vtriusque par-
1645 tis militia inſigniuit. Helmoldus enim Wrangelius à Torſtenſonio, vt prædiximus, cum delectis

ctis copijs in Holſatiam Jutiamque remiſſus, arcem Pinnebergenſem à Danis obſeſſam liberauit, cæſis obſidentibus, præter paucos, qui nando vitam ſeruauerunt. Hinc Chilonium progreſſus, eodem quo venerat die arcem deditione cepit, gregarijs hoſtilis præſidij in ſupplementa diſtributis, præfectis Chriſtianpriſiæ aſſeruatis. Quo etiam deduci juſſit, quotquot captâ munitione Neoſtadienſi, quæ vltra tres horas vix reſtitit, in ditionem venerant. Interuenerat his operibus inſignis illa victoria naualis: poſt quam præfectus claſſi Carolus Guſtauus Wrangelius Femeram recipere ab hoſte conſtituit, euocato ad ſe eo nomine Helmoldo Wrangelio, & in agro Oldenburgico ſtare juſſo, ſi præſidium Femerenſe Lubecam forte conaretur euadere. Sed hoſtis ſub ipſum impreſſionis adornatæ tempus ſubito in Lalandiam profugit.

3. *Sept.* 1644.

10. *Sept.*

6. *Octob.*

13. *Octob.*

fugit. Helmoldus autem auctus jam illis peditibus, quos ex Anckerhelmianâ classe in terram expositos ante memorauimus, in Jutiam contendit, arcemque Ha-
13. Nov. derslebiæ quarto, postquam obsederat die, recepit, præfectis in custodiâ retentis, gregarijs inter supplementa immixtis, rusticis ad sua dimissis. Sub id tempus cum deserto bello Scanico, in Fioniam, militum quod roboris erat, Rex deduxisset, Archiepiscopus autem è paluſtribus numerosam manum coegisset, satis intellexit Helmoldus in se conflari illam tempestatem: Randersumi, castra cito & valide communiuit, duorumque annona mensium instruxit. A tergo autem Ripis præsidium imposuit, loco ad commercia belli connectenda præcipue opportuno. Missus eo Mortaignius junior, optio Tribuni, retulerat, locum intra mensem non totum permuniri posse,

posse, sibique curam eius rei popoſcerat. Nactus est tempus pæne alterum tantum, neque parum muniendo profecit. Sed hostis totis viribus ingruens, quamuis fortissime resistentem, tertiâ oppugnatione superauit. cæsi sunt ad vnum omnes præsidiarij cum præfectis: Mortaignio promissa incolumitas nec seruata est. Quia enim quingentis amplius capitibus & Tribuni Steinbergij nece stetit hæc victoria, Archiepiscopus ira concitatus, adductum virum eximie strenuum interfecit. Non dubitauerat autem hostis, Helmoldum Wrangelium periculo Riparum, extra præsidia, quibus se immuniuerat, elici posse. itaque cum Archiepiscopus Ripas peteret, Andreas Billius apud Coldingam, cum quatuor millibus substitit: castra Wrangelij, si is ad liberandos obsessos se effudisset, petiturus, ac in medio deprehensum reditu inter-

tercluſurus. Et eduxerat caſtris mille quingentos equites Wrangelius, nouemque milliaria progreſſus erat, cum animaduerſo hoſtium conſilio, relegit viam atque apud munimenta ſua diligentius omnia conſtituit. hinc aſſumto omni fere equitatu, denuo ad liberandas Ripas contendentem fama cladis à propoſito auertit. Hoſtem vero à victoria anceps deliberatio tenuit. Helmoldum enim in caſtris ſuis oppugnandum Archiepiſcopus cenſuit: alia Andreæ Billio ſententia: qui præceptis locorum opportunitatibus & communitis ſtrenue vſurum, fruſtra peti diſſeruit; atque, poſtquam non valere ſui conſilij rationem intellexit, equites ſuos ab exercitu, in quo militum vndecim amplius millia numerabantur, ſegregatos, in Fioniam reduxit, vnde venerat, poſtquam Rex Daniæ continentem Scaniæ reliquit.

Ar-

Archiepiſcopum autem ſupremi vigilum præfecti Bauerus & Alefeldius in paluſtria ſecuti ſunt; maturato feſtinantius itinere, poſtquam Helmoldus diſcordia hoſtium in ſuam occaſionem vſurus aduentare dicebatur. Atque is quidem expeditas cohortes maximis itineribus per Holſatiam omnem Altenauiam vſque rapuit, comparatâque Hamburgo annonâ, Königsmarckium ad Bremenſe bellum reuerſum ſubleuare, detinendo apud paluſtria hoſte inſtituit. Reſpondit prolixe fortuna deſtinatis, vnumque intra menſem longi operis victorias cumulauit: initium & occaſionem ſuæ cladi præbentibus hoſtibus. Bauerus enim & Alefeldius veluti ſecuros oppreſſuri Wrangelianos, delectâ cum manu accurrerant, repulſique ab equitibus ſtationarijs attraxerunt Wrangelium Elmeshorniam. vbi capta impetu munitio- 5. Febr.

nitione, certatum cum hoſte, qui trecentis amplius cæſis captisue, ad proximum munimentum effuſiſſima fugâ ſe recepit: Bauerus relicto equo brachijs tenus immerſus aquis euaſerat. E noſtris ſignifer cum paucis gregarijs interfecti captique. Contractis deinde hoſtilibus apud munimentum, quod oſtendi, copijs, Helmoldus in Jutiam ſe redire ſimulauit. Hinc ſecuritas apud hoſtem, agreſtium nuntijs nimis facile acquieſcentem; & mox diuiſio copiarum, cui Helmoldus imminebat. ſtatim enim reuolauit ad munimentum, in quo
14. Febr. Kruck-Schantze. ducentos tantum reliquerat hoſtis. ijs, cum viderent acceſſus fieri, tormentis vallum quati, foſſamque ab alterâ parte ponte tranſiri, parum fuit ad reſiſtendum animi, deſerto fuga vallo, adituq; tam opportuno, etiam delectam trecentorum manum ſubſidio miſſam eodem metu impleuerunt,

uerunt, vt ad munimentum medio interiectum loco festinarent. Sed centum qui tendebant ibi præsidiarij, compertâ clade & fugâ suorum, itidem pedibus salutem quæsituri, auxerunt infortunium & dedecus partium. nam de sexcentis istis plerique omnes cæsi, aut capti sunt: gregarijs in supplementa distributis; præfectis custodia asseruatis. Recepti eo die multi è nostris, qui Coldingæ & Itzchoæ in ditionem hostium venerant. 15. Febr. Superuenit Bauerus cum septem peditum signis: non tam auxiliator quam fugæ socius, quâ vix seruatus esset, nisi loca fossis concisa, & obiectu aggerum equis imperuia nostros attinuissent. Postridie iterum simulato itinere Chilonium petere cœpit Helmoldus: sed conuersus subito, Steinbergensem proximam Crempæ munitionem, & in ea centum præsidiarios, cum præfecto cepit, nonnullos occi-

dit. Eodem dolo, cum pro-
gredi videretur, denuo regreſſus
arcem Haſelouiam beneficio fri-
goris adortus intra tertium diem
occupauit; cum qua centum
milites & præfecti complures in
poteſtatem venêre. Ad hunc fere
modum, dum it reditque Wran-
gelius, hoſtemque illuc circum-
agit, vbi terrorem excitauit, at-
que aliâ minatur, aliâ irrumpit,
ſine iacturâ ac periculo, omnem
paluſtrem ditionem, haud du-
bium huius continentis robur,
excepta Crempâ & Gluckſtadio,
veluti vna manu occupauit, &
incendio vaſtauit. Non mini-
mam huius rei culpam in Bauerum
conferebant, qui externæ virtu-
tis invidiâ commoti, tanquam
Comiti Penzio valde diſcordem,
& propterea defendendis terris,
quarum communi ope curam
agere debebant, inefficacem cri-
minabantur. Reliquias peditum
& equitum apud Stapelholmen-
ſem

sem munitionem Nicolaus Alefeldius constituerat: quas tamen paulo post, concludi ab Helmoldo metuens, trepidâ fugâ in Fioniam traiecit. Ipsam munitionem Stapelholmensem & antea Brunsbuttelensem idem pauor hostium prodidit. Non dispar fortunæ impetus Bremensem Archiepiscopatum Königsmarckij armis obruit. Torstensonius enim in Saxonia atterendis Cæsareis feliciter occupatus, ad Danicum bellum conficiendum redire, quamquam expetitus & iussus, non potuit. nemo ducum erat, qui persuaderi sibi pateretur, vt subiret molem belli Germanici, cuius contextas publicæ salutis dignitatisque momentis rationes rumpere, anceps & arduum videbatur. Igitur consultatis exactè cum Carolo Gustauo Wrangelio & Königsmarckio rebus, illum quidem Wismariam; hunc nouis amplisque mandatis tum

ad alia curanda, tum in Danicum bellum dimisit: vel auxilio futurum si translatis è Fionia & aliunde hostilibus copiis vrgeretur Helmoldus, vel Archiepiscopi Bremensis opes, sicut priore anno cœperat, profligaturum. Is devia castellum Hornburgense, deditione occupauit. Inde in agrum Bremensem infusus, Altelandiam terrestri aditu peti simulauit: quo cum rustici ad munitiones confluerent, ille milites nauibus impositos ad aggerem Albis admouet, à quo rustici digressi erant. quo conscenso reliqui rustici abiectis armis profugiunt, milites cæduntur, aut capiuntur. occupato pari felicitate agro Kedingensi, quo se receperant milites ex munitione Hornburgensi profugi, Königsmarckius ad Stadam vrbem Archiepiscopi primariam subita impressione subigendam animum adiecit. In suburbio contra terram Kedingensem sito

sito (Haschuenflietam vulgo vocant) omne robur loco propugnando aut oppugnando. Expectato igitur tempore, quo Zvvinga defluit, postquam satis præsidii reliquisset in munitione ad aggerem amnis Zvvingæ non procul eo loco, vbi in Albin influit, excitata, Königsmarckius cum peditum cohortibus, quæ ad manum erant, ab utraq; parte aggeris juxta Zvvingam cœpit versus vrbem procedere, cuius aduentu oppidani mature animaduerso, tormentis fistulisque maioribus non segniter attonuerunt propinquantes. Fossam quoque defluxu stato depletam, & vado transiri facilem, reclusis cataractis ita inundarunt, vt brachiis & collo tenus milites eluctari vndis cogerentur. Non deterriti tamen, suburbium à centum militibus magnoque ciuium & agrestium numero defensum primo impetu ceperunt, multis etiam primariis viris cæsis captis- 13. Febr.

que reliquis obtentu noctis in vrbem receptis. E Königsmarckianis desiderati, præfectus centuriæ qui agmen duxit; optio vnus, gregarii octo : vulnerati pauci. Inter hunc tumultum portis suburbij reclusis, duo mortaria adducta, & in suggestu constituta, incendia in vrbem spargere cœperunt : quæ tamen industria ciuium fere suppressit. Succi quoque incensas ante ab irrumpentibus proximas portæ domos summis laboribus restinxere : operibusque & accessibus muniendis totam noctem exegere. Ortâ luce ostensum oppidanis, quo essent in periculo, si placeret vltima expectare : Affluentibus vndis vrbem impetu adoriendam, interea autem globis ignitis malisque Punicis incendendam. Ita deditur vrbs, præsidiumque dimittitur Gluckstadium, exceptâ centuriâ custodum corporis Archiepiscopi, cuius præfecti potiores cæsi captiue

14. Febr.

ptive erant : hæc cum vexillo retinetur. Exemplum Stadæ Boxtehuda ſequitur. Diutius vim ſuſtinuit Bremeruerda, munitiſſima arx, quæ & ipſa tamen, in ditionem, poſt Martii menſis principium, venit. Inde Otterberga, & mox Rodenburgum ſine exceptione deduntur, alterumque intra menſem omnis Archiepiſcopi ditio in Bremenſi ac Verdenſi agro tenetur. Præſidiis igitur ordinatis, ſuppletis cohortibus, numerato ſtipendio, Königsmarckius ſex millium amplius exercitum, in Germanicam militiam, reuocante præſertim fœderatâ Principe Caſſellanâ, reducit, Helmoldo autem Wrangelio bis mille armatos ſubſidio mittit. Isà ſuperioribus ſucceſſibus Rensburgum obſedit, copiis & milite valde firmatum; eaque in obſidione ad finem vſque belli perſtitit : cum nec veterani damno militis excidium vrbis penſandum

18. Febr.

m. Mai.

duceret : nec otioſus vni loco aſſideret, ſed ex illis ipſis caſtris, nullo non genere impreſſionis hoſtem exerceret ac multaret. Satis autem proſpere in his partibus res gerebatur, niſi quod
m. Aug. Bremeruerda aſtu Eggerici (vice Tribuni is cohorti præerat) in-
1646. tercepta eſt : quem inſequente
5. April. anno, hoſtilia reſumentem, Kõnigsmarckius multo oppugnationis labore expellet. Guſtauus Hornius in hibernis Scaniæ conſilia belli in poſterum adminiſtrandi librat : latrocinia, turbas, excurſiones hoſtiles coërcet : valetudinem ſuorum ac inopiam vario prouiſu ſubleuat : in prouincias Suecorum Noruegiam ſpectantes, & hieme valde exercitâ inquietas ſubſidia deſtinat. Ad Daliam enim Wermelandiam & Weſtrogothiam defendendam, præter Gotheburgenſe præſidium, quod caput bello ad Noruegicum limitem dediſſe oſtendimus, pridem

dem Gabriel Gabrielis Oxenſterni-
us & Johannes Wrangelius Tribuni
iuerant. ſubmiſſus poſtea Haral-
dus Stackius & ſupremus vigilum
præfectus Guſtauus Otto Sten-
bockius ſtrenuam fidelemq; ope-
ram nauauerunt. Exactus Daliâ
& Wermelandia hoſtis, nil præ-
ter munimentum à paludibus di-
ctum retinuerat, id ergo obſeſ-
ſum, & poſtea inſidiis fruſtra ten- 10. *Mart.*
tatum, cum quinque è noſtris
caderent; ſedecim vulnerarentur;
denique inopino acceſſu Guſtaui
Ottonis Stenbockii, ſine ſtre- 24. *Mai.*
pitu, deditione receptum eſt. Inde
ſtatim ad hoſtilia præſidia & muni-
tionem Magnabroënſem itum:
cuius de præſidiariis profugienti-
bus, triginta cæſi. Neque plus
animi fuit iis, qui opus Magno-
renſe tueri debebant. audito tu-
multu fugam arripientes, incen-
derunt prætentam ſibi ab aliquo
interuallo, mox & ſuam muni-
tionem. Sequitur eodem pauore

validum in Noruegiæ finibus cæſtellum Miſcogenſe : quod cum vicinâ beneque munita domo annonaria Torgenſi , tantâ feſtinatione fugientium combuſtum eſt , vt eodem igne ægri triginta circiter conflagrarent. Ita quinque munitionibus hoſtium , vno terroris impetu captis , hoſtis apud inuia ſui limitis & inacceſſa ſubſtitit. Plus laboris fuit apud munitiones , quas Sueci Hallandiæ & Noruegiæ ad Albim Gothicum oppoſuerant. Ex Hallandiâ digreſſu Tribuni Wrangelii , mille hominum manus irrupit aduerſus Möllendalenſem munitionem : quam longe minori numero Mannerskildius Gotheburgo aduectus , & qui ibi tendebat Burcardus Nicolai reiecerunt. Paulo poſt iterum ſimulauit impreſſionem hoſtis : ſed interea alibi ſerio munimentum Scarsdalenſe adortus , ignauiâ præfecti Suedici , nullo negotio cepit , receptiſque dua-

duabus nauibus, ascendit, ac veterem Lodosam tormentis infestare cœpit: repulsus subinde à Tribuno Wrangelio: qui, cum non potuisset statim in Wermelandiam penetrare, hic locorum substiterat, paucisque ante diebus irruptione in Noruegiam facta, munitionem Hiertrumensem ceperat, & sexaginta de præsidiarijs occiderat. At à Wänersborgo tertiâ vice frustra oppugnato Henricus Bielkius Tribunus Danorum plurimis amissis vulneratisque, recessit. Hallandicam manum, quæ in Suenliungam Kindiæ se infuderat, prædarique cœperat, fama aduenturi Haraldi Stackii retro auertit: sicut & aliam hostilem procellam, quæ ex Noruegia se in fines Westro Gothicos concitauerat, munitionemq; Töslandensem septimâ oppugnatione deuicerat. cruentam hanc victoriam Danis fecit, singulare præfecti Scho-

22. Ian.

6. Febr.

18. Febr.

man-

manni facinus: qui post interfectum non paruum oppugnantis turbæ numerum, cum videret teneri non posse locum, incenso puluere bellico, se, ac hostium, suorumque plures cremauit. Hæc res effecit, vt Mannerskildius rem pridem agitatam agrestiumque precibus omissam properaret, atque excisis soloque æquatis munitionibus plerisq; apud superiora Albis Norvegiæ obiectis, Wänersborgensem tantum itemque Laerivensem, cum eâ quæ valetudinario Gotheburgensi apposita erat, validioribus præsidiis firmaret. Nam tot operibus obtinendis non sufficiebant militum copiæ, imminutâ præsertim pertinacibus morbis, maxima parte Gotheburgensis præsidii. Igitur cum post hæc augeret in Norvegiâ vires Danus, multaque conaretur, Laurentio Kaggio supplementis ordinandis & delectibus exigendis occupato, mandatum,

vt

vt Weſtrogothiæ tuendæ imperatoriâ prouiſione inuigilaret. Is dum periculum Weſtrogothiæ patiebatur, mille amplius militum de ſupplementis ad Guſtauum Hornium miſit. Habuerat ſtatiua Uſtadii Guſtauus Hornius, vnde in Bleckingiam appetente Maio menſe mouere exercitum ſtatuit, vt ex hoſtico victus deinceps ſuppeteret. Tranſitâ igitur apud Ahuſium Helgonis aquâ, coërcendi eminus Chriſtianſtadji rationes diſpoſuit, ac Sperlingio ibi relicto commendauit, compulſisque in ſyluarum latebras centurijs Bleckingicis, quæ apud anguſtias reſtiterant, Selsborgenſem arcem ſudibus ac propugnaculis muniuit, tuendo portui & annonæ aſſeruandæ. omnes hinc ad Malmogiam obtinendam cogitationes, quanquam diſſimulanter conuerſæ. Verum huius conſilii robur vnicum in claſſe Sueticâ reponebatur: quam duobus amplius

plius menſibus ſolicite & fruſtra expectauit Hornius. Nam claſſis illa quam in tria contubernia diuiſam, ſex & triginta nauibus, nautas ter mille trecentos amplius, milites bis mille ducentos ſexaginta vehentem Ericus Rynningius è Sueciâ educere parabat, è portu egredi aduerſantibus ventis, vix altero menſe potuit, egreſſaque per quindecim dies tempeſtatibus & ventis varie jactata, quinto demum Julii die ad Bornholmiam ancoras jecit, claſſique Caroli Guſtaui Wrangelii ſe coniunxit. Hæc erat altera Suecorum claſſis, quam Wiſmariæ comparauit Wrangelius, acceptis tamen domo trecentis nautis, quorum alibi tunc magna penuria erat. Immiſſus qui incendium in hanc claſſem ferret, proditor, Wiſmarię deprehenſus affirmauit: mille nummis imperialibus ſe emtum Lubecæ, â viro ignoto, è duabus, quas haberet, ciſtis, va-

rio

rio fomite & automatario ad ignem excitandum opere instructis, alteram prætoriæ trium leonum nomen habenti, alteram Draconi inferre debuisse. nominauit conscios Lubecæ & adiutores; qui cum inficiarentur, nihil in posterum sciri potuit. Facinoris suscepti pœnam Johannes Greffius (ita enim vocabatur) Pomeranus, atrocem sustinuit, flammis pendens vstulatus & lenta nece interemtus. Egressus autem portu Vismariensi Wrangelius, cum classem maiorem vento præpeditam cunctari cerneret, ne nihil ageretur, Bornholmiam accessit, Nexoamque vrbem tormentis territans, illic loci exposuit milites: quibus conspectis profugere incolæ, munitionibus per oram litoris præcincti. oppido direpto duo agrestium signa in ditionem venerunt, cum septem machinis bellicis, in quibus quinque Erici Suecorum Regis opus,

Vlt. Mai.

9. Iun.

opus, domum missæ sunt. conuocati literis ad imperata facienda incolæ, nil detrectarunt. Obstabat tamen fidæ possessioni huius insulæ arx Hammershusia, cui Holgerus Rosencranzius præerat. Huc quoque aduecta classis, breui oppugnatione deditionem extorsit. E nostris non nisi tres cæsi, septem vulnerati sunt. præsidii caussâ impositi centum milites, quorum partem dimidiam Gustauus Hornius petenti Wrangelio submiserat. Dum apud Sandvvicum subsistitur, grauissima tempestas classem Wrangelianam distraxit, læsis & in breuia actis pluribus nauibus; Fortunâ vetere, quæ vocabatur, misere confractâ, hominibus tamen conseruatis. Tandem Ericus Rynningius, vt memoratum est, classem maiorem infra Erdholmiam occurrenti Wrangelio coniunxit: ac de mandatis Regijs cum eo consultauit, Tria erant,

16. *Iun.*

29. *Iun.*

5. *Iul.*

quæ

quæ moliri jubebantur : Si poſſent claſſem Danicam in ſtatione Hafnienſi ignibus præſertim infeſtare ; inſulas maris Balthici adoriri ; & Malmogiam maritimâ etiam obſidione premere. Sed conſumpta ferè annonâ, Rynningius opus habebat, è Germanicis portubus cibaria repetere. acceſſit altera moræ cauſſa, dum freti Danici conditio exactius inquiritur. Conſtitit ergo inter Dragoram & Saltholmiam breuia multa eſſe, maioribus nauibus inacceſſa : pontonibus quoque Danicis & demerſis nauibus præpeditum iter. Eandem ob cauſſam Oreſundam quoque jam non niſi ſingulis nauibus tranſiri poſſe, neque notum ſatis nautis alueum. Ita ingreſſum & egreſſum æque periculoſum. Hæc omnia penitius explorauit Rynningius, & ad Guſtauum Hornium perſcripſit; dum claſſem prope Dragoram in ſtatione colloca-

tam habet. Hornius licet videret, ſpem illam, quam in claſſe habebat, minui, motis tamen caſtris ad Malmogiam accedere ſtatuit, vel promtior ad nocendum hoſti, ſi bellum maneret; vel ijs locis ſtaturus, ſi pax conueniret, vnde ex hoſtico ali poſſet, donec pactiones implerentur. Relictis ergo Ahuſij & Selsborgi præſidiis, centurias Danorum Bleckingicas, quæ aſſumtis agreſtibus apud idonea locorum pedem firmare cœperant, Comiti Guſtauo Leuenhauptio ſupremo vigilum præfecto, debellandas tradidit. Is ad Möram communitas in templo duas centurias na-
25. Iul. ctus, gregarios interfecit, præfectos cepit, primoque inde milliari, tertiam quoque incruento prorſus certamine profligauit. Quibus ad hunc modum à tergo peractis Guſtauus Hornius caſtra
31. Iul. mouet, & Johannem Wachtmeiſterum cum parte equitatus ad

Waer-

Waerpingam conſtituit. exercitum reliquum apud Manstorpium, non procul à Malmogiâ ſtare juſſit. ipſe Scanoram cum parte copiarum progreſſus in colloquium cum Rynningio & Wrangelio venit. Negantibus illis, fretum inter Malmogiam & Saltholmiam claſſe inſideri poſſe, hactenus tamen ſibi profuturas naues ratus, ne caſtra in ripis ponenda è mari infeſtarentur, obſidere Malmogiam decreuit. Jam acceſſus facere moliebatur, cùm pacis compoſitæ nuntio ab armis reuocatur. Inter celeberrimos Sueciæ duces, Guſtaui illius Hornii nomen jam olim eminebat: poſtquam Guſtauo Adolpho Regi tum aliâs, tum in Polonos bellanti, virtutis militaris indolem, illuſtribus documentis approbauerat. Quem in Germanorum poſtea expeditionem ſecutus, res multas & magnas imperatorio prouiſu geſſit uſque ad illud tem- 7. Aug.

pus, quo infelix apud Nordlingam prœlium, ex medio gloriæ cursu, in longam octò annorum captiuitatem abstraxit virum, cuius in consilio & operâ, plurimum spei Patria repositum habebat. Cautis & deliberatis agendi rationibus plurimum semper delectatus est: Fortunam sequi non lacessere, certus. Profunde cogitare; accurate mandare; strenue agere; seu natura illi, seu consuetudo est. Senatoria dignitas, & quicquid honorum in familiam generosissimam intulit, meritorum amplitudine longe lateque illustratur. Hinc auctoritas, grauitate attenti moris non parum adiuta; & caritas populárium, ciuilis animi moderatione potenter instigata visu juxta & auditu venerabilem faciunt. Ceterum, vulgatis inducijs, classis Rynningij assumtâ pleraq; Wrangeliana, Sueciam; Wrangelius cum reliquis nauibus Wismariam repe-

repetiit : poſtquam à clade Danis inferendâ cœlo ventisque vis illa naualis prohibita eſſet. neque enim præter interceptam ſubinde aliquam nauem Danicam, ad dignum tanto apparatu certamen res deduci potuit. Tertia quoque Anckerhelmio commiſſa claſſis, quæ ex Belgio reparatis viribus Gotheburgum redierat, diu expectabunda ſuas rationes à maioribus illis apparatibus ſuſpendit : neque aliud conari potuit, quam vt percurſaret dimiſſis nauibus maria, intercederet ſubuectionibus vndecunque tentatis in Noruegiam, & præſertim Gotheburgenſem portum tuerctur. Quippe Rex Danus viginti ſex bellicas naues, & quadraginta minores, præfecto Quâ Gieddio illuc miſerat, exitumque obſepſerat, donec caſtigatâ naufragio claſſe, merſaque prætoria Sophiâ, cum quâ quindecim nautæ perierunt, ceteris hominibus conſer- 21. Maii

uatis, Calfſundam itum, indeque in Oreſundam properato reditu peruentum eſt. Curam iniecerat Regi Daniæ fama non tantum Rynningianæ & Wrangelianæ claſſis aduentantis, ſed etiam Hollandorum apparatus: qui quadraginta & octo naues bellicas, mercatorijs trecentis denuo præſidium addiderant, præfecto Wittenio Cornelio Wittenij. Is, ambiguum ſe per hæc tempora geſſit, Suecis amicitiam oſtentando, neque Danis vltra ſuſpiciones iectas quidquam nocendo. Scripſerat Wittenio Vicarius præfecti claſſis Danicæ, propediem ſe exiturum cum nauibus Danicis, nullo claſſis Belgicæ incommodo, cui omnia amica cuperet. Reſpondit Wittenius: Se claſſem Danicam cum parte nauium ſuarum ſecuturum, & quo curſum dirigeret, obſeruaturum eſſe. Idque jam fecerat, cum egreſſas in mare orientale

duas naues Danicas, ſtatim duæ Hollandicæ inſequentes, obſeruarent. Neque tamen Suecis itidem aliqua ſubinde interrogantibus, niſi ambigue reſponſum eſt. quamuis fœderati Ordines ſuos legatos depoſita ſequeſtrium perſonâ, inter ipſam pactionem Brömſebroënſem, Suecorum partibus accedere jufſerant. Quieuit ergo Danica claſſis in ſtatione Hafnienſi, vſque ad finem belli. Anckerhelmij naues apud Gotheburgum tamen retinebat metus à Noruegicis Maſterlandiæ nauibus, ſemper illi portui imminentibus. denique quatuor in Albim emiſſæ, vt Gluckſtadio omnia arctiora facerent, interuentu pacis reuocantur. Dimiſerat & ante Regina, vt primum ſpes pacis certior affulſit, literas, quibus præcepit ſuis ducibus, ne tam de proferendis ad vlteriora armis, quam de conſeruando rerum præſentium ſtatu ſoliciti eſſent. 2. *Iul.*

ſed interrupit tacitam illam quietem Martis Suedici, Hannibal Seſtedius, effuſis è Noruegia in fines Weſtrogothiæ nouem armatorum millibus. Stabat tum Salenstorpij in diſtrictu Scaraborgenſi Laurentius Kaggius, vnde & hoſtilia ad Albim Gothicum molimina ex Noruegis obſeruare poterat; & Hallandiam; cuius limiti Haraldum Stackium oppoſuerat. Iuit ergo ex vna parte ipſe, ex altera Stackium immiſit in hoſtem, qui loco quamuis opportuno ad Leryenſia munimenta conſtitutus, poſt breue certamen cessit, fugaque pontem à ſe factum tranſcurſauit ac in Hiſingâ ſe præcinxit. irriſui ſimul & probro fuit tanto impetu ſuſcepta irruptio, quâ non modo nihil memorabile geſtum, ſed inaudito ſæuitiæ exemplo Noſocomium Gotheburgenſe exuſtum eſt, octodecim circiter hominibus ſenibus, debilibus, cœcis, mente

mente captis, immaniter occisis. Concitatus ergo justo dolore Laurentius Kaggius traiecit copias in Hisingam, statimque Bahusiam petere cœpit, cumque præueniisset hostis, opportunosque sibi tumulos occupassèt, quatuor eum collibus deturbauit, effecitque vt noctis beneficio Albim traijceret, cum omnibus copijs. Quo postridie animaduerso, Bahusiæ appropinquauit Kaggius, occupatoque qui arci subjectus est colle, per sclopetarios maiores infestauit vrbem, arcem, & appositas naues duas, tormentis & præsidio firmatas. Sed hæ quidem fugâ litus aduersum petebant, auectis etiam in interiora Noruegiæ profugorum ciuium compluribus. Auertendo dedecori Sestedius numerosam manum jussit traiecto Albi Kaggium submouere. pugnatum est acriter: tyronibus quoque raro exemplo rem vtrimque strenuè ge- 6. Aug. 7. Aug.

rentibus : coactusque tormentis, collem deserere Kaggius, castra reiecto hoste statim reparauit, machinisque & pontonibus aduersus quantamcunque vim præmuniuit. Ceciderunt illo die & priore Leryensi pugnâ, Danorum quingenti circiter ; è Suecis triginta & septem cæsi, octoginta & quatuor vulnerati sunt. Æger animi Sestedius etiam conuitijs suorum exceptus est : exprobrantium inconsultam expeditionem, quam dissuaserant, atque jussa eius detrectantium. Tanta enim multitudo, vltro lacessitum hostem, non multo plus duobus millibus trahentem non sustinuerat : admissumque in Noruegiam qui eiicere auderet, non reperiebatur. Dimissæ passim manus cum vndique irruptionem minarentur, nihil aliud quam distrahebant copias Kaggii, disponentis stationes per totum Hisingæ ambitum ; & præsidia in finibus ordi-

ordinantis. Munitionem quoque vallo, ſudibus & altâ foſsâ præcinctam, quam Seſtedius apud lapideum illum pontem Albi deuertendo inſtratum, excitauerat, nullo ſuorum vulnere noctu occupauit: Bahuſiæ vrbem igne abſumpſit, & ad arcem expugnandam omnia comparauit. Sed Dani primo de pace literis ſuorum edocti, inducias petierunt: inter quas etiam Kaggio domo mandatum, vt arma cohiberet. Dum enim terrâ marique armis res geritur, pacis reſtituendæ vias magno ſtudio indagant, quibus ea legatio, ſicuti ante cœpimus memorare, obuenerat. Tempore ſcilicet pridem deſtinato conuenere Senatores Regnorum: à Sue- 8. *Febr.*
ciâ, Cancellarius Imperij Axelius Oxenſtierna, Johannes Skyttius, Matthias Soopius, Thuro Bielckius: è Daniâ Cornificius Ulfeldius, cui proxima à Rege auctoritas, Chriſtianus Thomæ,
Chri-

Christophorus Urne , Georgius Seefeldius. Sueci Calmariâ Söderacram concesserunt , locum hospitio legationis destinatum : Danos Christianopolis excepit , vbi & Thuillerius nomine Gallico sequester futurus mansit. Belgicorum Ordinum duplex Legatio , altera , quæ in Daniam missa erat , Christianopoli substitit , altera Soderacræ cum Suecis fuit ; è quâ solus ab initio adfuit Wittenius : nam Bickerus & Stauenissius, collegæ , Holmiâ domum regressi , Suecorum postulatis de communi caussa & fœdere apud Ordines tractandis , operam dabant. Post salutationes literis nuntiisque factas , Legatus Gallicus, antequam congrederentur , cum Suecis egit de modo & consuetudine tractandæ pacis , atque ex sententiâ Danorum scripturam & sequestrium operam colloquiis prætulit : in quibus ad asperiora verba posset deue-

deueniri. in vtrumque ſe promtos Sueci reſponderunt: ſiue priſco more colloqui partes ſatius eſſet; ſiue ſequeſtribus tali labore ſuum munus metiri placeret. Petierunt etiam Danorum nomine ſequeſtres: ne quis ad congreſſum admitteretur, præter nominatim delegatos. Negauit Cancellarius hoc ſuſcepto negotio conuenire: ſe enim non aliter tractaturos, quam vt totum orbem conſcium optent. Inſpectis ergo ab vtraque parte literis, quibus paciſcendi publica auctoritas Senatoribus congreſſuris permittebatur, ventum eſt ad locum præuiâ ſuperioris anni tranſactione deſtinatum. Brömſebroæ â pontibus nomen habet, qui vtrimque collemaquis circumfluum annectunt limiti Suetico Danicoque, indicio eius rei lapis fungitur in medio conſtitutus. Hîc Guſtauus Primus Sueciæ, & Chriſtiernus III. Daniæ, Reges quondam col- 1541.

locu-

locuti erant. Postquam tuba signum dedit, Senatores Suedici Danicique è tentoriis ante vtrumque pontem collocatis progressi, in medio colle, sequestribus ad lapidem, quem dixi, consistentibus, sibi inuicem occurrunt, junctisque dextris, Cancellarius Regni Suedici in hanc sententiam orditur: Reginam Sueciæ tum amori pacis insito, tum studio Christianissimi Regis & Fœderatorum Ordinum dedisse vt per legatos bellum componere, & amicitiam instaurare cuperet, postquam Daniæ Regi idem placere cognouisset. Inspectis ergo probatisque literis, quibus veniissent instructi, nihil superesse, quam vt bene precati negotio, animum operamque diligentem promitterent, ac in vicem sperarent. Eodem nomine, proposito, spe, se quoque & Collegas veniisse retulit Cornificius Vlfeldius; porrectisque iterum dextris

tris discessum est ; postquam Legati Hollandici Suecos in tentorio appellassent , Ordinumque rationem haberi inter paciscendum , quantam ad commerciorum libertatem attinet , postulassent, literasque Ordinum, quibus Legationis auctoritas continebatur , tradidissent. Eas ad Reginam se missuros , responderunt Sueci ; neque quicquam omissuros , quo minus fœderis cum Ordinibus, & communis circa rerum commercia commodi memores viderentur ; si modo & ipsi suam opem conferrent. Addebatur ; sperari responsum Ordinum , à duobus Holmiâ domum regressis collegis impetrandum , sicut fœderis ratio non parum in hac caussa Suecis Ordines obligantis, tum transmissa præterito autumno Reginæ postulata desiderarent. Valetudo Thuillerii distulit initium tractandi negotij in diem Februarij tertium decimum. quo

cum

cum veniſſet ad Suecos, poſt prandium interrogatus, an Danorum nomine aliquid proponendum ſuſcepiſſet, reſpondit: ſe propterea appellaſſe Danos, qui præter meritum & opinionem ſe bello petitos ſuccumbere Suecis, ex vtraque parte regni ademtas prouincias obtinentibus, dicant: inde ergo principium tractandæ rei expectandum. Ad quæ Cancellarius cauſas belli pridem ſcripto vulgatas eatenus repetiit, ut Oreſunticas acerbitates, ſalua regni incolumitate diutius tolerari nequiuiſſe, oſtenderet; & quando ita placeret Sequeſtribus, promouendæ pacis gratia libellum traderet, quo certis deſcripta partibus nauigandi & commercandi libertas poſtulabatur: declarata ſequentem in modum „ totius rei æquitate. Regibus „ Sueciæ & ciuibus inde ab anti- „ quo libera facultas fuit, com- „ mercandi, nauigandi atque trans-

„cundi ex Mari Balthico Occa-
„num atque vice versa, per freta
„Danicis Insulis ac prouinciis
„interfusa, sine ullo vectigali,
„onere, mora, impedimento.
„Hæc libertas à Deo mundi dis-
„positore fundata, naturæ insu-
„per & gentium jure nixa, cum
„aliis quidem nationibus (quo
„jure quaue iniuria, non disqui-
„ritur) per Reges Danorum cœ-
„pisset circumscribi, intra certos
„limites restringi, atque paula-
„tim vectigalibus impositis one-
„rari; Regibus tamen ciuibus-
„que Sueciæ semper mansit inte-
„gra, & peculiaribus pactis re-
„seruata; Ac licet internatis ex
„leui occasione turbis; inter cæ-
„teras lites, quibus à tempore
„fœderis Setinensis hæc regna
„contigit agitari, non postre-
„mum habuerit locum ista de
„vectigalibus imponendis contro-
„uersia, libera tamen nauigandi
„transeundique facultas cum ve-

„ ctigalium immunitate, nun-
„ quam non veteri juri atque
„ consuetudini fuit restituta.
„ Quare neque nunc aliter
„ declarari oportet atque expli-
„ cari, si quid obscuri in pactis
„ repertum perturbationi cuidam
„ occasionem dederit, quam vt
„ nauigationi & negotiationibus
„ inuiolabilis constet in posterum
„ sua immunitas, sicuti jus na-
„ turæ & gentium, tum amicitia
„ utriusque regni postulat. Ab
„ anno demum 1631. specie retor-
„ sionis, nauigationum & com-
„ merciorum cursus in Albi: &
„ in Pomeranis, posita triremi ad
„ insulam Ruden, onerari cœpit
„ atque impediri. Quibus præli-
„ batis, cum tempus fauere vi-
„ deretur inter discordias Europæi
„ orbis maiora concupiscentibus,
„ Rex Daniæ id agendum sibi puta-
„ uit, vt auctas mirum in mo-
„ dum per vectigalis Oresuntici
„ amplificationem opes, ab an-

„ no præsertim 1637. nouis sub-
„ inde artibus ac inuentis, cres-
„ cerent, & ad opprimendos con-
„ tradicentes, ac tuendum illud
„ per iniuriam aliorum arrogatum
„ jus, uti nunc vocant, supe-
„ rioritatis, aduersus ipsos, qui
„ vectigalia conferrent, abunde
„ valerent. Pressit hæc indigni-
„ tas reliquas gentes uniuersas,
„ dum in Regno Daniæ haud
„ quidem negotiantes, neque
„ ulla alia re, si usum aëris &
„ aquæ excipias, fruentes, tot mo-
„ lestiis tamen ac oneribus, incer-
„ tum ubi & quando modum
„ habituris, citra juris & amici-
„ tiæ respectum, mandatu Regis
„ constringebantur. Reginam
„ vero & ciues Sueciæ, non gen-
„ tium modo jus, sed pacta quo-
„ que Regnorum, & perpetua
„ consuetudo, nunquam nisi
„ bello, aut per iniuriam inter-
„ rupta, pauloque post restituta,
„ tuebantur. Igitur Rex Daniæ,

„ cum videret, aucta in ceteras
„ gentes vectigalia, parum con-
„ uenire cum immunitate Sue-
„ dica pactis conformi, aliquid
„ ex his esse faciendum sibi judi-
„ cauit, vel vt commercia Sue-
„ dica ad inuidiam usque crescere
„ pateretur, vel vt restituta po-
„ pulis pristina libertate, consi-
„ lium rebus suis augendis fir-
„ mandisque, sine ullo ciuium
„ onere tam pulchre accommo-
„ datum omitteret, vel vt vecti-
„ gália non sine diminutione re-
„ dituum Danicorum, tempera-
„ ret; vel denique, quando cum
„ dolore & molestia essent con-
„ iuncta reliqua, vt Suecis suam
„ immunitatem eriperet & acci-
„ deret. Hoc rursus directo iti-
„ nere facere non poterat: nisi
„ ab omnibus pacis violatæ pa-
„ ctorumq; non seruatorum incu-
„ sari vellet. Itaque obliqua via
„ huc itum est, vt per speciem
„ peregrinarum mercium sub no-
mine

„mine Suedico latentium, na-
„ues detentæ, quæstionibus, li-
„tibus, & confiscatione vexa-
„rentur, aut sero, nec nisi post
„alias, quæ tardius venerant, di-
„mitterentur, mercium præcipua
„interdicto coercerentur: atque
„vbi hæc instituto nondum sa-
„tis faciebant; nec Regina, qui-
„que eius nomine rem tracta-
„bant publicam, minutioribus
„hisce aculeis mouebatur, ad
„illam atrocem omnibusque no-
„tam Suecos transeuntes & com-
„mercantes exagitandi acerbita-
„tem, anno 1643. ex improuiso
„descenderetur, nihilque inter-
„mitteretur, quod ad negotia-
„tiones Suecorum & nauigatio-
„nes interuertendas, excogitari
„poterat. Tanta autem vehe-
„mentia, tanto ardore agebantur
„omnia, vt nulla prorsus ratio
„haberetur juris, amicitiæ, fi-
„dei & pactorum: quæ in alie-
„num sensum trahi, &, vbi

„ quid obſcuritatis repertum eſſet, „ alienâ interpretatione in præiu- „ dicium libertatis atque immu- „ nitatis Suedicæ explicari ſummæ „ artis, ſummique ingenij habe- batur. Hiſque enumeratis ad- debatur; ſi de pace atque amici- „ tia redintegranda agi oporteat „ cum ſpe ſucceſſus, ante omnia „ ſummi iſtius litis, quod Rex „ Daniæ ſibi vindicet, titulo ab- „ ſiſtendum, & remedia iis, quæ „ verbis expreſſa modo ſint, „ quærenda eſſe. Id quo facilius fieret, in certos deſcripta arti- culos, quæ huc ſpectarent, vt ante diximus; etiam Latino ſer- mone Sequeſtribus tradita ſunt, vt examinarent, & cum Da- nicis Legatis pertractarent; iis- que ſtatim denuntiarent verbis Reginæ Sueciæ, niſi minimum tranſitus per Orcſunticum & Balthicum fretum maneat li- ber, ſecurus, extra controuer- ſiam poſitus, incircumſcriptus, de

de pace agi non posse. Cum Sequestres statim perlegissent libellum, Thuillerius se satis coniecisse ait, hoc iri postulatum; neque dubitare, quin Dani Sueciæ incolis concessuri essent, quod peteretur: de illis autem disquiri posse, qui in clientela Suecorum essent. Wittenius Hollandicus Legatus laudabat Reginam Sueciæ, pro omnibus loquentem: cunctas enim nationes grauiter tulisse, Danorum in Oresunda vexationes. Cui Thuillerius: Gallos quoque sæpe eo nomine offensos, iniurias tamen, quatenus tanti non viderentur, vt bello vindicari oporteret, toleraſſe. Referebat hac occasione Cancellarius Oxenstierna, se in congressu apud fines anno 1624. instituto, suasisse serio Danicis, qui aderant, legatis, vt omitterent ea, quæ tum in Oresuntico freto aduersum alias nationes cœptabant, adjectis disertis verbis: si aliquando

„ do eadem aduerſus nos Suecos „ conari in animum inducatis, „ futurum eſt, vt nullo modo „ toleremus. Die Februarij octauo Decimo, redierunt cum Thuillerio, etiam ij Legati Hollandici, qui apud Danos ſubſiſtebant; aſcitoque Wittenio, tradiderunt Suecis reſponſum Danorum, addentes: ſe animaduertiſſe in eo aliqua parum ad pacem facientia, ſperare tamen, conſecuturos ea Suecos, quibus pax conueniret. Legati Suedici animaduerterunt, in ſcriptura Danica nihil aliud, quam in dubium vocari Suecorum jus belli in occupata, cumque iis damni reſtitutionem poſtulari. Subinde refutari cauſſas belli, & incuſari iniuriam, ſibi, vt putarent, factam; ad Suecorum autem poſtulata hoc tantum reſponderi, „ pugnare ea cum jure Regis Da- „ niæ in freto Oreſuntico. Quantum ergo utriuſque partis rationes

nes diſtarent, oſtenderunt Sequeſtribus : qui magnopere ſuadebant, omitti de cauſſis belli alias declaratis diſputationem ; qua tempus inutiliter tereretur, & animi exacerbarentur. Poſſe rectius ad cætera reſponderi. Huic conſilio obſecuti Sueci, Sequeſtribus, qui die viceſimo Februarij, omnes præter Wittenium, qui vxorem defunctam lugebat, aderant, reddiderunt ſcriptum, quo, ſeruata in aliud tempus confutatione rationum Danicarum aduerſus jus belli Reginæ, ne illam quidem diſputationem de cauſſis & modo ſuscepti belli, ingredi ſe velle teſtabantur. Quantum ad jus in freto Oreſuntico jactatum attinet, Reginam parum curare, an omnino eſſet, & quid eſſet, nihilque aliud quærere ſibi ſuisque, quam tranſeundi ac tranſportandi libertatem. quæ niſi obtineatur, nullam viam aut ſpem pacis ſupereſſe. Id vt di-

ſerte Danis renuntiarent, & reſponſum impetrarent, quale deceret, Sequeſtres rogabantur. Quibus illi cognitis, intulerunt hunc ſermonem vt putarent, ſatisfieri poſſe Reginæ, quatenus abſtineretur diſceptatione juris, quod infreto Oreſuntico Dani ſibi tribuunt: ſed fore omnino, vt repoſcerent ſuas terras & arces, quas Sueci occupaſſent. Reſponſum eſt: nondum veniſſe tempus de ea re agendi, cauſſam belli ante omnia tollendam. quo facto aliis tractandis locum dari; Reuecti poſt prandium Chriſtianopolim Sequeſtres viceſimo quinto Februarij die redierunt Soderacram, vultuque parum læto, non afferre ſe reſponſum, aiebant, quale vel ſibi vel Suecorum Legatis gratum eſſe poſſet; prorſusque credere, ſcriptis nihil agi, præterquam vt res intricetur. rogare ergo, vt liceret ſibi retinere

Da-

„Danorum libellum, atque vt „alius negotium tractandi modus eligeretur. Negabant Sueci, reſponderi poſſe, niſi lecto ſcripto; quod ſi non ſatisfaceret expectationi ſuæ, forte tamen conſideratu dignum eſſe; cumque non dubitaſſent Dani Sequeſtribus tradere; nec ipſos quin ederent, cunctari debere. At illi, quanquam bene de Suecorum moderatione ſperarent, commotionem tamen aliquam animorum paci parum vtilem metuere ſe dicebant; itaque diſſuaſiſſe Danis ſerio; qui nihil mutari poſſe, cum præſertim Sueci typis omnia vulgent, cauſati ſint. Ad ea Can„cellarius, non eſſe quod vere„antur Sueci publicationem „eorum, quæ dicuntur aut fi„unt, ſi præſertim regna in diſſi„dio maneant, ipſam ſcripti Da„nici lectionem, oſtenſuram, „quid ſperandum aut deſperan„dum ſit. de cætero ſatis ſe animis ſuis

„ ſuis imperaturos. Tum Lega-
tus Gallicus chartam Danico-
rum Legatorum nominibus ſub-
ſcriptam exhibuit. Legerunt Sue-
ci coram Sequeſtribus, non leui-
„ ter commoti ludibriis verbo-
„ rum, quæ cumulabantur, &
„ præſertim jure Regis Daniæ Ore-
„ ſundico (quod ſuperioritatis vo-
„ cant) in tantum exaggerato, vt
„ in eius poteſtate arbitrioque ue
„ omnis per fretum nauigatio &
„ negotiatio reponeretur. quæ
„ res ſicut Suecos hoc bello im-
„ plicuerat, ita niſi remoto tali
„ obſtaculo, inutilem ſibi pacem,
„ cum ſeruitute ac interitu patriæ
„ coniunctam, intelligebant. Pe-
tierunt ergo diem ad deliberan-
dum, antequam reſponderent.
Ardua imprimis res viſa. ſilentio
enim prætereire motam litem, pe-
riculoſum videbatur, tum ob eos,
qui de re tota parum edocti, ver-
ba potius, qua[illegible] negotium ipſum
ſpectarent; tum ob Danos, qui
non

non posse responderi, opinaturi essent. Refutatione autem susceptâ contentionem apparebat incipi, indignum Legatorum munere; propositoque & more honestiorum nationum. Non obscurum erat, Danis adhuc, vt antea, decretum, Sueciæ ciuibus vel interuertere omnem per Oresunticum fretum negotiationem, vel vectigal extorquere; nam & Sequestribus testati erant, „si Sueci ea, quam peterent, im„munitate potirentur, omnia „penes ipsos rerum commercia „fore. Id ne fieret, cum præcipua sibi ope annitendum Dani existimarent; fierique non posse animaduerterent, quin inter Pacis tractandæ vias, de illa immunitat agendum esset præcidere tali responso rem suis consiliis tantopere alienam voluisse, visi sunt. Præcipuus interim hic erat scopulus, ad quem concordia & quies horum regnorum naufragium

gium fecerat. nisi hoc superato neque sperari, neque haberi pax poterat. Si enim ad bonas conditiones & pacem, nihil armis & manifesta juris ratione proficeretur, quid in silentio & precibus spei? Temporis ergo redimendi, ac ut legatis totiens itandi & reitandi labor adimeretur, missi ad Sequestres Suanto Banerius cum Secretario Israële Israëlis, qui post id tempus, equestrem dignitatem suo merito nactus Lagerfeldius appellatus est, ostensuri: „ Suecorum Legatos, tum regio „ mandato, tum suopte desiderio pacem optare: verum cum „ videant, Danos præter omnem „ rationem, iniurias Suecis illatas obtentu juris in Oresunda „ supremi pertendere, tantum esse „ sententiarum dissidium, vt de „ successu negotij plane coganatur desperare. Sequestrium arbitrio relinqui, ulteriusne operam suam à se deberi, aut consilium

„ filium rei perficiendæ reperiri
„ posse existiment, an & ipsi ni-
„ hil videant, quo progredian-
„ tur: vt quamprimum Com-
„ missariis, vel ad continuan-
„ dam pacis negotiationem ani-
„ mum addant, vel omnem spem
„ ac laborem simul & semel adi-
„ mant. Hoc animorum habitu valde in ancipiti hærere negotium cœpit. pluraque belli mansuri, quam pacis coituræ animaduerti indicia poterant. Sequestres internuntiis Suedicis responderunt: non minus sibi quam
„ Suecorum Commissariis displi-
„ cuisse scriptum Danicum, cum
„ satis intelligerent; nihil hac ra-
„ tione profici, inuitosque se tra-
„ didisse; antea etiam suasisse Da-
„ nis, vt mutarent. sed, sicuti à
„ Suecis impetrari non potuerit,
„ vt in manibus sequestrium re-
„ linqueretur, ita nec à Danis
„ aliud responsum esse, quam
„ se pati non posse, vt Regis sui

ac

„ ac Patriæ ſummum jus (ſupe-
„ rioritas appellatur) in dubium
„ vocetur. poſtquam deinde à
„ Súecis regreſſi eſſent ſedulo ſe
„ oſtendiſſe Danis indignationem
„ Suecorum, & in quo erratum eſ-
„ ſet, addito conſilio: cum ni-
„ hil hoc pacto effici conſtaret,
„ omiſſis mutuis ſcriptis, Seque-
„ ſtres ſiue Mediatores accipere à
„ Partibus conditiones & nego-
„ tiationem tentare debere. Pla-
„ cuiſſe id Danis, ſeque poſtridie
„ venturos, & amplius de re tota
„ acturos. Venerunt, ſicuti pro-
27. Febr. miſerant, Thuillerius, Schae-
pius, Sonckius, iteratisque,
„ quæ memorata ſunt, perſuaſiſſe
„ ſe Danis, retulerunt, vt de tranſ-
„ itu libero ante omnia diſcepta-
„ retur: darent igitur Sueci Me-
„ diatoribus, quæ ſuper iſta lite
„ tractari cuperent. Tum Can-
cellarius Oxenſtiern ade ſcripto
Danico orſus, quod nec in for-
ma, nec in contextu probari po-
terat,

„ terat, etiamſi verba tranſmitte-
„ re voluiſſent, rem tamen iſtam
„ ſine juſta indignatione præteriri
„ nequiuiſſe, ajebat. itaque, niſi
„ dignitatis Sequeſtrium, & unde
„ miſſi erant, rationem haben-
„ dam duxiſſent, non fuiſſe, quod
„ vel unam noctem intercedere
„ paterentur, quo minus remiſ-
„ ſo, quale merebatur libellus
„ Danorum, reſponſo, com-
„ mercia pacis abrumperentur.
„ de jure regali, quod Rex Da-
„ niæ in freto Oreſuntico ſibi tri-
„ buat, ſi non aliunde, certe
„ ex iis, quæ non minus Suecis,
„ quam aliis nationibus, præter
„ jus & æquum, jam ab aliquot
„ annis intentata ſunt, cauſam-
„ que bello præbuerunt, abunde
„ conſtitiſſe: nunquam tamen vel
„ ante audiſſe, vel nunc futurum
„ putaſſe, vt tam clare à Danicis
„ Commiſſariis id diceretur, ſcri-
„ bereturue, quo jus illud, vt
„ ipſis placet, in tantum aduer-

„ ſus tranſeuntes & nauigantes
„ extenderetur, in quantum Rex
„ in ſuis terris prouinciisque in
„ ciues ſuos, vel quiuis etiam
„ Princeps ac Reſpublica in ſub-
„ ditos ſibi populos, aut peregri-
„ nos quidem, ſed in ſuis terris ac
„ portubus negotiantes, poſſint.
„ hoc ſi verum ſit, negari non
„ poſſe, quin Sueci bellum in-
„ iuſte ſuſceperint, pacta viola-
„ uerint, neque contradicendi
„ cauſam habeant, ſi quæ preci-
„ bus impetrari non poſſint. Li-
„ berum etiam hoc pacto Danis
„ relinqui, claudere Oreſundam
„ omnibus, peculiare pactum non
„ allegantibus, inſtituere in ter-
„ ris ſuis emporia atque ſtapu-
„ las, atque negotiationem inter
„ ortiuas & occiduas partes eo
„ loco conſtituere, ac pro arbi-
„ trio moderari; omnes natio-
„ nes vectigales facere: vectigalia,
„ ut lubet, augere & minuere,
„ modo directa, modo obliqua
via.

„ via. Quæ omnia profecto, non „ ad Suecos tantum, ſed ad „ omnes nationes, præſertim „ autem maris Balthici & ſepten- „ trionalis accolas, & prouin- „ cias Belgicas pertinere. Igitur „ cum Dani in tantum hoc jus „ pertendere connitantur, adeo „ ſibi rem videri difficilem, vt „ ad vlteriorem tractatum de- „ ſcendere, absque nouis manda- „ tis, domo petendis, nequeant. „ alias non improbare ſe Media- „ torum conſilium de omittendis „ ſcriptis ad contentionem facile „ flectentibus, ſi res integra eſſet. inter colloquendum Mediatores oſtendebant, nequaquam à ſe probari jus Danis affectatum; alienum tamen putare, ſi directa via id impugnaretur, nouaque ea lis conſereretur. Referebant etiam, Danos, cum, in quo verterentur ſtatu res ipſorum, demonſtraretur, reſpondiſſe; non ignarum ſibi quod diceretur, ſed

si opprimi debeant, vi se malle id fieri, quam eo modo, quo possent judicari sponte suum statum prodidisse. Suadebant ergo Sequestres, vt præcipuum negotium de transeundi libertate & vectigalis immunitate, ad eum modum, quem Suecí desiderarent, tractaretur: nam Regi Daniæ nihil futurum grauius, quam si jus, quod affectaret, in litem mitteretur. At Commissarij Suecorum, omitti potuisse hanc disceptationem antea ajebant, quam Dani suum jus in tantum exaggerassent. nunc fieri neutiquam id posse. neque enim videre se, quomodo negotium pacis nunc tractari queat, absque impugnatione affectati juris, & nouis mandatis. inspectis tamen denuo mandatis, quæ haberent, consideraturos se, si liceat per ea consilio Sequestrium auscultare; & tum, quæ de transitu postulanda essent, perendie consignata tra-

traditurós esse. Digressis Christianopolim Sequestribus, Commissarios Suecorum iterum anceps deliberatio tenuit: cum & plurimum mirarentur, rem nunquam disertis verbis tam aperte jactatam, sed utraque ex parte prudenter declinatam, de jure Oresuntico, nunc à Danis tempore maxime alieno, tam importuno inculcari; & consilio Mediatorum non obtemperare, suo pudori arduum existimarent. Petita deinde & accepta prolatæ consultationis veniâ, tertio Martij die, per Gustauum Bielcke & Israëlem Israëlis Lagerfeldium significarunt „ Mediatoribus: Reginæ Regnoq; „ Sueciæ, tum aliis nationibus, „ intolerabile esse omnino illud „ jus, quod Dani in transeuntes „ sibi vindicant. igitur, si trans„ mitteretur silentio hæc res, ve„ luti abdicato jure suo nihil ha„ bituros Suecos, nisi quod Rex „ Daniæ, quasi per beneficium 3. *Martii.*

„ indulgeret. ita ſecuritate ipſis „ omni adempta, fieri poſſe, vt „ ex leui cauſſa ad eundem im- „ pingatur lapidem; dilato ſcili- „ cet non ſublato bello. Demon- ſtrabatur etiam Sequeſtribus, Re- ginæ conſilium immobile; quæ bellum profecto continuare, quam talem ſeruire ſeruitutem mallet. Thuillerius, his cognitis, de- plorabat nouam controuerſiam; neque ſe videre ſpem pacis reli- quam, aiebat: deliberaturum ſe tamen & ſententiam ſuam Suecis oſtenſurum eſſe. Legati Hollan- dici, proniores huic cauſſæ, nul- lo modo tolerandum jus à Danis affectatum, omnique Reipublicæ aduerſum, jam olim à Cæſare Carolo & Philippo II. Rege Hiſpa- niarum, tum à Fœderatis Belgij Ordinibus hactenus oppugnatum, declarabant: futurum enim, niſi nunc infringatur, vt in meliore Danorum fortuna minus impe- trari queat. Eadem poſtea in Col-

legæ

legæ Wittenij hoſpitio repetentes, Suecis confirmarunt: contradici prorſus oportere, ſeque ex fœdere cum Suecis ad aperiendum fretum Oreſunticum conaturos, reditum Collegarum Bickeri & Staueniſſii è Patria deſiderare, vt & noua mandata, quibus cum Suecis facere juberentur. cum ſubinde Suecorum Commiſſariis, via inter Soederacram & Chriſtianopolim mediâ, Kappetorpij, Sequeſtres occurriſſent, Thuille-
„ rius retulit: Danos, poſtquam 5. *Martii.*
„ cognouiſſeut, quo loco nego-
„ tium eſſet, reſpondiſſe; quan-
„ doquidem nihil Sueci in me-
„ dium attuliſſent, & bello ta-
„ men cauſſam dediſſe putarentur
„ vexationes Oreſunticæ, inde
„ æquum eſſe incipi negotiatio-
„ nem pacis, ſi diſquireretur,
„ utrum cum Suecis in freto juxta
„ formulam pactorum, an per
„ injurias, actum ſit. Interroga-
bat ergo, an placeret, hanc ra-

tionem tractandi negotii admittere ? Deplorabant Suecorum Commissarij tergiuersationem Danorum , cum Sequestrium illusione conjunctam ; quippe vim „ Suecis in Oresunda factam pu„ blicè nosci , nullaque disputa„ tione tolli posse ; pactorum , „ quæ sancte à Suecis habita , vio„ lata à Danis essent , auctorita„ tem parum tempestiue nunc ja„ ctari , multo minus inde pacem „ incipi posse : cum præsertim Da„ norum actiones cum pactis col„ latæ satis ostendant , nihil mi„ nus ipsis quam pactorum re„ ligionem cordi fuisse. Omisso igitur hoc consilio , Sequestres petebant , duo postrema scripta aboleri , retentis prioribus , quod Sueci nimirum initio proposuerant , ac Dani tum responderant. Sueci motam à Danis postremo scripto controuersiam , indefinitam transmitti non posse , testabantur : ne Dani silentium pro-

con-

consensu & juris optimi jactura interpretentur. Tum Hollandici Legati, vltro fassi, jus Danis affectatum, cum præjudicio omnium Regum & Rerumpublicarum commerciis ac transitu utentium conjunctum, omnino circumscribi oportere, rogabant tamen vt consignarentur aliqua, redimendi temporis ergo, de quibus Sequestres tractare possent. Excerpta sunt ergo ex priore scripto aliqua, & Sequestribus tradita: non subscriptis tamen Commissariorum nominibus. Interjectis aliquot diebus reuecti ad Succos Sequestres, se, perlectis, quæ tradita erant, primum caput, af- 10. *Martij*
fectato juri Danico oppositum reposuisse ad tempus dicebant, ejusque rei veniam haud grauatè concedi sibi postulabant: cum non ad Suecos magis, quam ad Regem Galliæ & Ordines Fœderati Belgij illa res pertineat, in qua Sequestrium officio rite defungi,

parum ipsis integrum foret. Re-
„ sponsum à Suecis, sibi quoque
„ in animo fuisse, declinare illam
„ de jure Regis Daniæ controuer-
„ siam, verum quia à Danis tam
„ insolenter mota, tam vehementer
„ exaggerata sit, cum maximo
„ præjudicio aduersum omnes
„ Reges, Respublicas, Urbes ne-
„ gotiatione utentes, committere
„ se non posse, quin vel tollatur,
„ vel minimum determinetur.
Neque negabant Sequestres, ac-
cidendum esse jus illud Danicum
& circumscribendum: sed præter-
quam quod à principio statim
hanc litem mouere non potue-
runt, sicut anteà ostensum est,
consultius etiam putabant, in
contextu negotij, ex occasione &
aliis rebus jam compositis, istud
fieri. In quo Sueci, etiamsi nullam
pacis spem affulgere putarent,
Sequestribus concedere statue-
runt. Interrogati porro Seque-
stres de articulis, quibus liber
tran-

tranſitus poſtulabatur, indefinite omnibus Suedicis mercibus, per fretum Oreſunticum importandis aut exportandis, quantum ad Sueciam, Finlandiam, Eſthoniam, Liuoniam, Ingriam, Pomeraniam, Megapolim attinet, retulerunt, Danos diſcrimen mercium conſtituere, quarum aliæ libertate immunis tranſitus ſemper gaviſæ, aliæ ex impetrato peculiari conſenſu transuectæ eſsent. cuius generis nominabantur externi potus, & quæ ad militarem apparatum ſpectarent. deinde non negari à Danis, Sueciam cum Finlandia ex pacto immunes; ſed oſtendi, non eandem rationem eſſe reliquarum prouinciarum, quibus pacta nihil largiuntur: cum earum nonnullæ poſterius occuaptæ, quędam per inducias, aut clientelas annexæ ſint. Sueci, cum præmiſiſſent non eandem rationem eſſe liberi tranſitus per Oreſundam; & vectigalium immunitatis, quam iſta regna reciprocant, expoſuerunt ube-

uberius, quæ ad peregrinos potus attinent: de iis non alia exceptione in pactis caueri, quam vt regno inuectorum & venditorum nomine, id vectigalis pendatur, quod ciues & incolæ regni solent pendere. Transitum autem in freto Oresuntico vi pactorum & veteris usu consuetudinis immunem
1643. fuisse, donec ante biennium Dani per eiusmodi callidas interpretationes, aliaque hostilia cœpta pacem turbassent, & quod jure debebatur, precarium facere constituissent. Idem circa merces militares & apparatum bellicum eueniſſe, demonstrabatur. Nam pristinis temporibus nihil mercium bellicarum regno exportatum; sed potius necessaria literis saluum præstantibus transitum, ad Suecos singillatim conducta sunt: Donec Rex Carolus IX. opificia & quas vocant, manufacturas instituit, neque tamen propter turbas Regni confirmare potuit. Gustauus

ſtauus poſtea Adolphus Magnus eo rem perduxit, vt quæ olim foris pretio comparabantur, eorum magnus modus Sueciâ venum exportari poſſet. Quoniam autem per Oreſundam raro emittebantur inſtrumenta militaria, priores Reges operæ pretium ſe facturos haud exiſtimauerunt, ſi de ea re controuerſiam mouerent potius, quam per literas facultatem tranſducendi poſtularent. Regina quoque; cum jam vt merces cœpiſſent exportari arma & bellici apparatus, patiebatur ſane, Regis Daniæ veniam & literas expeti. Sed moto ſemel bello, recuperanda libertas, juſque à DEO & natura conceſſum, obtinendum videbatur. Quantum ad prouincias attinet, quas Dani volebant excipi, Eſthonia octogeſimum jam ultra annum ſub Suecorum ditione acquieuerat: Liuonia jure belli tenebatur, eodem ſeruanda, donec aliter cum Polonis con-

conueniret. Ingriam non minus corpori Regni Suedici insertam, quam Uplandiam, haberi fas erat. Pomeranos & Megapolitanos eo magis sibi tuendos credebant Sueci, quo constaret certius, nullam eos ob aliam caussam hactenus vexari, quam quia Suedicis opibus protegerentur. Flexerunt hinc sermonem Sequestres ad id, quo inquiri in naues mercesque Sueticas, ullamque iis moram obiici, omnino nolebant Sueci; existimaruntque posse rationem excogitari, qua nationes saltem aliæ sub Suecorum nomine & apluſtribus, transitus immunitatem potiri vetarentur. Quibus occurrerunt Sueci: se nec inuidere cæteris nationibus liberum transitum; nec propter eas onerari velle. Instanti tamen Thuillerio spes facta, congressu proximo, re interim consultata, de remedio actum iri. Considerata sunt illo die & alia, quæ minus habitura

tura difficultatis videbantur, si de reliquis conueniſset. Paulo ante venerat Chriſtianopolim legatus Ducis Holſatiæ Gottorpio, Claudius Qvvale, unde miſſis ad Suecorum Commiſsarios literis Principis, fide muneris ſui facta, admitti poſtulauit. Auditus, querelam inſtituit de moleſtiis & incommodis, quibus dux Holſatiæ propter impreſſionem, à Torſtenſonio factam, inuolutus eſſet; Inde remedium petiit, præſertim autem, ut liberaretur tributo 60000. imperialium nummorum, quos Helmoldus Wrangelius flagitabat: cum Torſtenſonius perſolutis, quæ ante exacta erant, plenam in poſterum immunitatem, conſignatis literis promiſerit. De cetero, commendabat Principis ſui commoda, utque in negotiatione pacis eorum ratio amice haberetur, expetebat. Denique Sangershuſam deſiderabat Duci Holſatiæ reſtitui, pignoris loco

loco ab Electore Saxone olim traditam, interceptis bello jam per aliquot annos cum sorte usuris. Responderunt Sueci: nihil quidem sibi de his rebus mandatum; quia tamen haud ignota essent, de quibus Legatus egerat, non celaturos se animi sui sententiam. Et belli quidem Suecis extorti causas minime in obscuro esse; quod autem inde ad Principem amicum, cuius terræ hostilibus permixtæ sunt, aliqua incommoda peruenerint; vicino imputari debere: cum satis constet, bella non ita geri posse, quin corripiant circumposita, & cum noxiis innocentes inuoluant. Quæ de remedio & tributo allata sint, ad Reginam referri fas esse. In pacis negotio nihil omissum iri, quod ad commoda Principis pertineret. Sangershusam armis non Holsatiæ Duci, sed Electori Saxoni ademptam jure belli obtineri, ideoque manente bello à Regina repeti

repeti non posse, sed aut solutionem nominum, quam desideraret Princeps, ab Electore flagitandam, aut finem belli expectandum. Quod superest, Reginam Sueciæ, Principi Consanguineo omnia fausta & amica cupere. Hæc se in vicem consilij respondisse, addebant; relaturos ad Reginam omnia: cum præsertim Christianopoli subsistere, atque negotij exitum opperiri Legatus constituisset. At ille, gratijs actis, cum literas ad Reginam insuper dedisset, pransus cum Commissarijs, Christianopolin redijt. Non tamen destitit postea vrgere negotium, & exhibita pactione Torstensonij, Chilonij perscripta, contendere, vt Cancellarius interea, dum Reginæ literæ expectantur, Helmoldum Wrangelium de remittendis tributis moneret. Gratificatus est hactenus Legato Cancellarius, vt Helmoldo sub finem Martij significaret, 3. *Iunij.* 1644.

parcendum esse Principis amici terris rebusque, quantum ratio belli & militum conseruatio pateretur. hæc enim cautio, quamuis Legato omittenda videretur, abesse non poterat. Sed redeundum est ad labores Sequestrium; qui cum Danis ista fere egerunt: vini ac peregrini potus immunitatem concedebant Dani. instrumentis militaribus petendum literis transitum, minime denegandum, quotiens opus esset, ajebant: laudantes pactum anni 1624. Monentibus autem Mediatoribus, frustra ad pacta prouocari inter arma; neque minus instrumenta belli & apparatum militarem genus mercis esse, quam reliqua quibus immunitas debetur; non ademerunt denique omnem spem consequendi, quod peteretur. De prouinciis acrius disputatum; Danis ita interpretantibus desideria Suecorum, quasi in suas terras ciuesque omnia per-

pertrahere commercia, Regno autem Daniæ exitiabile hinc detrimentum moliri, agitarent. Circa Pomeranos & Megapolitanos inprimis dubitatum : quos Sueci impensius sibi tuendos judicabant, suis hactenus præsidiis defensos; suo patrocinio ex fœdere Gustaui Magni cum Ducibus earum terrarum icto, commendatos; & propterea diminutione pristinæ immunitatis, à Danis mulctatos. Ex omnibus tamen difficillimum tractatu videbatur, quod Dani instantissime flagitabant, de Certificationibus, quas vocant, effecturis scilicet, ne sub nomine Suedico totus orbis libero frueretur immunique transitu. Rogabantur ergo Sueci, vt responderent, quod referri posset Danis, semper conquerentibus: „Sequestres multa quidem ab il„lis postulare, nullam autem in„uicem gratificari gratiam. Cancellarius Oxenstierna, postquam

diligentiæ Mediatotum gratias egiſſet, & de Commiſſarijs Danicis, in re facili moras nectentibus, atque adeo ſpem majora componendi pæne adimentibus, conqueſtus eſſet, declarauit ite-
„rum: quomodo circa peregri-
„nos potus formula pactorum
„per alienam interpretationem
„cluſa, neque moris conſueti
„ratio habita eſſet. quod ſubin-
„de jactetur, propter tributa in
„Suecia exigi ſolita vectigal vi-
„nis Suedicis in Oreſunda ante
„biennium impoſitum, id vltro
„refelli literis Danorum ad Sena-
„tores Regni Suedici exaratis;
„quæ Mediatoribus ſuggereban-
„tur. Armis & inſtrumento mi-
„litari, vt & prouincijs, eadem
„poſtulari, quæ ab initio. At
„in diſtinguendis mercibus Sue-
„dicis ab aliarum nationum bo-
„nis, nullum ſuppetere conſilium,
„quo non perturbentur com-
„mercia, nouisque tricis mate-
ries

„ries præbeatur, vnde expediri „haud minus ægre olim, quam „nunc liceat. cumq; non agnoſci „queat vllum Regis Daniæ jus, „exigendi à tranſeuntibus vecti- „gal, itaque vnici loco reme- „dij fore aduerſum metus futuri „temporis, ſi traditam à majori- „bus ditionem æqui bonique „conſulat, neque ampliora con- cupiſcat. Quo in loco non deſine- bant Sequeſtres deſiderare, ne alij Suecis quantum ad immu- nem tranſitum, æquarentur. Mo- nuitque Thuillerius, æquitati con- ſentaneum eſſe, ne Sueci, ſi ſuis prouincijs omnibus, quod pete- batur, impetrarent, pro alienis tantopere niterentur. eo maius incrementum hinc vtique com- mercijs Suedicis promitti, quo magis immunitate cæteros ante- ſtarent. Jd ſicut non abnuebat Cancellarius, ita non inuidere ſe aliis, præſertim amicis & fœ- deratis eandem fortunam, teſta-

batur. Conuerſusque ad Lega-
„tos Hollandicos, videtis, inquit,
„quæ nobis offerantur: quod ſi
„noſtris tantum commodis ſtu-
„dere animus eſſet, queri non
„poſſetis, vos præteritos eſſe. ſed
„optamus, vos eadem libertate
„potiri: niſi ſeruitus iſthæc po-
„tius vobis cordi eſt. Tunc illi
non continuerunt ſe, quin erum-
perent in verba ſtudio partium
imbuta: præſertim Wittenius. In-
terrogauit ergo, non ſine ſtoma-
„cho Thuillerius: an hoc eſſet
„Sequeſtrium partes implere? In
hoc congreſſu, cum iterum jus
Danicum in Oreſunda affecta-
tum attingeretur, Sequeſtres,
commodius à ſe tempus expecta-
ri oſtenderunt; cum hactenus
illuc peruenirí non potuerit, ſa-
tisque animaduerterint, Regem
Daniæ malle bello conflictari, &
vel vltima experiri, quam illo ju-
re cedere; Jbi tum Suecorum
Commiſſarij citra ambages teſtati
non

non posse indefinitam prætermitti hanc litem, sibi quoque nunc potius quam aliâs, si armis agi placeat; bellum eligendum, ostenderunt. Digressis reliquis, Thuillerius cum Suecorum Commissarijs Sœderacram pernoctatum venit, quo paulò ante perlata erant noua è Suecia mandata, de impugnando jure Regis Daniæ; Quibus perlectis Cancellarius po- 14. Mart.
stridie apud Legatum Gallicum antequam discederet, grauissima oratione questus, Danorum animum à pace alienum, & scripti virulenti acerbitatem, tali negotio, talibus viris indignam: cum caussas belli necessarij breuiter perstrinxisset, incommoda Danis hactenus illata, cum magnificis eorum verbis de jure Oresuntico contulit: & quam non deceret præscribere leges, flagitare restitutionem amissorum, ante compositam litem primariam, demonstrauit. neque, afferri ista ja-

ctanter; sed vt considerarent tandem Dani, quo loco res ipsorum sitæ essent, simulque meminissent, quomodo antehac in ne-
1613. gotiatione pacis apud limites regnorum instituta Suecos tractassent, quibus vix nomen restitutionis licebat vsurpare, donec præcipuam litem, quamuis bonis rationibus nixam, ipsis largirentur. Suecos ab initio hujus negotiationis satis habuisse, si suis tantum ciuibus cauerctur: postquam autem tam superbe litem de supremo jure mouere cœperint Dani, nullam nisi eo sublato securitatem Suecis relinqui. Qua occasione ingressus in sermonem, super illa securitate constituenda, qua fundari pacem oporteret, iniecta mentione de freto Oresuntico partiendo; memorauit deinde domo submissa mandata, quibus contradicere Danico isti juri juberentur: atque si porro abnuant Dani, simpliciter atque di-

ser-

sertis verbis respondere, Calmariam abituros Commissarios, denunciauit. Perturbatus valde his verbis Thuillerius, interposita mora, postridie se cum reliquis Mediatoribus Kappetorpij occursurum Suecis, vt amplius consultaretur, promisit. Quod cum factum esset, die Martij quinto decimo Thuillerius repetito sermone Suedicorum Commissariorum, difficultates, quibus obsepta esset abdicatio juris Danici, quippe cum summo Regis dedecore conjuncta exaggerauit, atque vt in alium saltem locum differretur ea quæstio, contendit. quod si enim in fatis sit, negotiationem pacis abrumpi, tolerabilius fore, si in articulo securitatis id accideret. „Dicebatur contra: Quandoqui„dem declinatam Succis quæsti„onem Dani vltro mouissent, „dum postulatis eorum nihil ali„ud quam Regis sui jus oppo„nunt, absque quo conuulso ni-

„hil ſpei Succis ſupereſſe. me-
„lius profecto in hac cauſſa pacis
„commercia abrumpi, vbi totus
„orbis cum Regina ſentiat aduer-
„ſus Danos in præjudicium
„omnium nationum poſtulan-
„tes, quod non debetur. Non abſtitit tamen Thuillerius, quin peteret, quod cœperat: atque inter multos ſermones, poſtquam non mirari ſe dixiſſet, quod Regina cautionem non verbis, ſed rebus nixam, quia pacta non valuiſſent, deſideraret, de Oreſundæ partitione & Helſingburgo retinendo quædam dubitanter jecit. Vno ore denique Sequeſtres, ne dubitarent Sueci, diſputationem de immuni tranſitu, agitari cœptam, præferre alijs rebus, rogitabant. Suecorum Commiſſarij, cum ad deliberandum, quod facto optimum eſſet, ſeceſſiſſent, magnopere à ſe cottidiana quodammodo Reginæ mandata in re tam ardua deſiderari debere,

anim-

animaduertebant. Quoniam autem omnino Mediatoribus gratificandum esse videbatur; simul etiam Fœderatorum Ordinum sententia atq; de successibus Torstensonij certiora propediem expectabantur; neque occasio deinceps abesse poterat aduersum illud jus Oresunticum disputandi, si spes pacis intercidisset; itaque respon-
„sum est in hanc sententiam: de-
„cretum sane Suecorum Com-
„missarijs fuisse, nullam ampli-
„us negotiationem pacis admitte-
„re, antequam Rex Daniæ, ju-
„ri, quod jactaretur renuntias-
„set, neque satis apparere, quo-
„modo excusari apud Reginam
„mutatus ordo queat: instanti-
„bus tamen Sequestribus hacté-
„nus obsecundari, vt dilato jure
„Oresuntico in articulum securi-
„tatis, interea de libero immu-
„nique transitu pertractetur,
„prorsus enim reseruatam intel-
„ligi debere illam quæstionem, si

prius

„prius conſtiterit, quid Dani re-
„ſarciendis damnis offerre decre-
„uerint. Jta tum diſceſſum eſt.
Hoc ipſo autem die Johannes Skyt-
tius è Legatione Suedicâ ſenio po-
tius quam notabili morbo inde à
primo apud Brömſebroam con-
greſſu languens, fato functus eſt.
quem virum ſua induſtria, doctri-
narum ſtudijs non parum adiuta,
Regis Guſtaui Adolphi Magni fa-
uori apprimè commendauerat, &
ad Senatoriam dignitatem, quæ
præcipui decoris eſt, prouexerat.
Legatus bis in Angliam iuit; ma-
gnamque muneris præclarè obiti
laudem retulit. multa præterea
in Regno & magna negotia fidei
ipſius & prudentiæ commiſſa
ſunt. in quorum tractatu gloriam
nominis ſui vel impleuit ſemper
vel adauxit. Jn Academia Vbſa-
lienſi, cuj Cancellarius, ſiue ſum-
morum priuilegiorum cuſtos &
conſeruator datus erat, illuſtre
monumentum ſuæ liberalitatis
indul-

indulgente Rege, extare voluit, Profeſſorem præter Regios, Eloquentiæ & Ciuilis prudentiæ, Skyttiano nomine & ſtipendio in perpetuum gauiſurum. Jn locum tanti viri ſubmiſſus poſtea domo eſt Thuro Sparrius: Sequeſtribus etiam deſiderantibus, expleri numerum, aut nouas Reginæ literas impetrari, quibus trium Commiſſariorum negotiationi, eadem quæ antea quator Legatorum Collegio inerat, auctoritas conſtitueretur. Ceterum Sequeſtres, diſceptatis diligenter, quæ cum Danorum Commiſſarijs tractanda ſuſceperant, ad Suecos reuerſi, de ſingulis ad propoſitum caput controuerſiæ ſpectantibus, quid impetrari poſſet, oſtenderunt. Finlandiæ, Jngriæ, Eſtho- 19. & 22. Martij.
niæ ciuibus concedebatur plena immunitas, ſi Danis reciprocum jus illis in locis decerneretur. Jd alienum exiſtimabant Sueci, qui ciuium ſuorum immunitatem, non

non pactis tantum (quanquam & illa in hoc negotio nil nisi jus gentium declararent) sed inprimis naturæ & gentium jure fundabant. Pro Liuonia quoque jure belli & pactione induciarum possessa, & deinceps citra arbitrium aliorum possidenda, quæ postularentur, non beneficij, sed juris eiusdem nomine præscribi, confirmabant. Nec minus Pomeranis & Megapolitanis, Wismariæ inprimis, (de Rostochiensibus enim nullus sermo erat) gentium jure vindicabatur, quod Dani pactis peculiaribus metiri malebant. Illa enim pacta suam vim amiserant, ex quo Dani ante aliquot annos, eos vexare, ac pro hostibus habere cœperant, interdicto in Oresunda & mari Balthico negotiationis vsu, captis etiam per naues stationarias, illorum mercibus nauigijsque. cuius generis multa acciderant, antequam Sueci & Dani

Dani hoc bello implicarentur: vt cauſſa eius acerbitatis non poſſet in aliam rem conferri, quàm quod Pomerania & Megapolis præſidijs Sûedicis protegerentur. id quod ex ipſis Danorum literis reſponſisque docebatur. priuilegia, quæ offerebantur, cum Hanſeaticis Ciuitatibus communia, ante bellum poterant locum habere: nunc alia rerum facies erat. De illis autem, quæ Pomerani & Megapolitani in Dania & Noruegia poſſent ſibi vindicare, ſicut non contendendum ſibi Sueci exiſtimabant, quin ad pactorum formulam exigerentur, ita, quæ natura & fas gentium, non minus ijs quàm alijs tribueret, nolebant dimittere. Et meruerat egregia fides, quam per bella Germanica Pomerani Suecis approbauerant, vt ipſorum deſideria ſubleuarentur: aderatque miſſus eo nomine à Pomerania Paſcouius; qui anno demum

demum CIↃIↃCXXXVIII poſt obi-tum Ducis, jura Pomeranorum in dubium vocata, & quæ ex eo tempore propter Suecorum amicitiam paſſi ſunt, commemorabat, atque Commiſſariorum patrocinio hanc cauſſam ſummopere commendabat. Bellica inſtrumenta in genere mercium exportandarum comprehendi patiebantur Dani: ſi modo iis, quæ importarentur in mare Balthicum, venia à Rege peteretur. Non tulerunt Sueci, reſeruari hoc pacto Danis jus, quod in merces bellicas ſibi arrogauerant. Circa diſtinguendas aliqua literarum nauticarum ſignificatione merces Suedicas & peregrinas, hæſitatum eſt: cum Sueci ſatis equidem non præuiderent modo, ſed prædicerent, quantum mercatores pro ſuo quæſtu aduerſus commoda Regis Daniæ annixuri eſſent, ſi in poſterum non mitius cum peregrinis in Oreſunda, quam

quàm hactenus factum erat, ageretur. Id tamen periculum, vt suo juri paterentur fraudi esse, induci non poterant ex tempore; sed deliberaturos se, si qua excogitari possent, profitebantur. Hæc duobus congressibus acta, spem paciscendi de transitu Oresuntico haud paulo minus dubitabilem reddiderunt. Quippe Torstensonij victoria Jancouiensis, tum Königsmarckij & Helmoldi Wrangelij successus in agro Bremensi Holsatiaque, de quibus antea dictum, haud parua fuerunt Danis & Thuillerio incitamenta, vt hoc ipso mense Martio tota lis 26. Mart. de nauibus mercibusque componeretur. cum præsertim è Belgio etiam nuntiaretur, Ordines de jungendis cum Sueciæ Regina armis agitare; Hollandis ac Westfrisijs decernentibus. Conuenit ergo, sicuti formula pactionis late per singula exhibet; omnibus Sueciæ, Finlandiæ, Jn-

griæ, Eſthoniæ, Liuoniæ ciuibus, magiſtris nauium, exercitoribus, nautis, itemque mercibus, nullo genere excepto, etiam armis & bellicis inſtrumentis, liberum per maria Oreſunticum & Balthicum tranſitum, cum immunitate vectigalis, more antiquo in poſterum ſartum tectum eſſe conſeruandum; abrogatâ omni detentione, inquiſitione, aut quacunque moleſtia. Atque ne deinceps è literis naualibus, quas Certificationes appellant, controuerſia reſurgeret, certa formula pactis inſerta eſt, qua tum Suedicis mercibus onuſtæ naues, tum quæ partim Suedicas partim alienas portarent inſtrui deberent. Deſcriptum etiam, quid in occurſu mutuo aut apud caſtella Oreſuntica, & Nyborgi à nauibus exigendum; ſicuti &, quid in copijs militaribus per fretum Oreſunticum nauigantibus tenendum ſit, Albis Gothicus ad

fines

fines Noruegiæ & Weſtrogothiæ, repurgato alueo, priſtinam libertatem recepit. vectigal Rudenſe ſublatum; nec minus Glückſtadienſe, quantum ad Suecos attinet, omiſſum. Jmmunitas mercantium, quam in Suecia Dani & Noruegi, in Dania & Noruegia Sueci antiquitus habebant, ſaluo jure immunitatis Suedicæ in Oreſunda, abrogata eſt, ne litium materies ſubinde exiſteret. Pomeranis, & Wiſmariæ reſtitutum jus antiquum, pactione Othonienſi deſcriptum. Ut ha- 1560.
ctenus proficeret negotiatio pacis, victoria Jancouienſis, vt ante cœpimus dicere, haud parum profuit. Non omittenda igitur videtur quædam eius rei commemoratio. Torſtenſonius vbi animaduertit, Cæſareos in Bohemia, quo ſe etiam exiles reliquiæ concluſionis Bernburgenſis & Magdeburgenſis, quæ maximæ inſtar cladis fuit, receperant, vires,

& bellum reſtaurare; illuc ſibi quoque ſine morâ contendendum exiſtimauit. Nam ſi impediri non liceret coitiones hoſtilium copiarum, Ragozio tamen animum addi, Gallorum deſiderio de communibus propoſitis morem geri, tum translatis in Cæſaris patrimonium armis, conſilia pacificationis Oſnabrugenſis maturari, Pomeranis denique & Megapolitanis ditionibus ſecuritatem præſtari, cernebat. Et hoſtis quidem ad reparandam fortunam, nihil ſibi ad ſummam induſtriam & feſtinationem reliqui fecerat. Hazfeldius, qui ſummæ rerum præeſſet, lectus; Gœzius ex Hungaria accitus; Werdanus cum Bauaricis copijs adeſſe juſſus. his, vt in Torſtenſonium irent, & poſtquam vltro ipſum aduentare cognitum eſt, prœlio confligerent, mandatum. Præſtabant numero equitatus: peditatu Torſtenſonio pares. qui pugnam ſibi minime detrectandam

ratus

ratus, itinere varie commutato, locum & tempus dimicandi aptum, quasi aduersus insequentes quæsiuit. sed dum hostes eodem consilio vtuntur, moram aliquam necesse fuit interuenire: donec die festo memoriæ S. Matthiæ dicato, apud Jancouiam, locis propter colles & syluas maxime inæqualibus, adeoque varios casus recipientibus, toto die acerrime concursum est. Jngenti denique clade prostratis hostibus, occiso Gözio, Hazfeldio & magnis ducibus alijs captis, tormentis cum omni instrumento castrensi in ditionem redactis, (nam impedimenta ante certamen in locum tutiorem translata erant) victoribus Austria patuit, magnorumque ad summam belli consiliorum & profectuum occasio nata est. Sicut non leuibus indicijs fateri possunt, pressus seruitute Danubius, tentata Jmperij clausstra, terror ad portas Viennæ pro- 24. Febr.

prolatus. Jn poſtrema hac de ſeptem majoribus, ab initio Suedicorum in Germania armorum pugnatis pugnis, Cæſareis inter multos rectores incertum regimen, & dum plures imperare cupiunt, artes ducis defuere. parum certe aut nihil arbitrio Hazfeldij, cui ob inſignem militarem famam, ceteri parere juſſi erant, actum eſt. At apud Suecos Torſtenſonius, maximis quibusque omnis æui ducibus comparandus, prouiſu, diſpoſitione, omnique imperatoria virtute in tantum illo die inualuit, vt promptiora omnia ſucceſſori tradere potuerit, ſi tum miſſionem impetraſſet. Cum enim crebra valetudine debilitatus, pæne defectum robur artuum, ſola firmitudine animi ſuſtineret, ſæpe in alium transferri impoſitam ſuis humeris molem petijt, ſed tunc iterum in annum ſequentem dilatus eſt. Videbat Suecia, quantum huius viri op

profeciſſet: qui à puero bellis primum Liuonicis innutritus, Guſtauum Adolphum Magnum, magiſtrum per omnia clariſſimæ indolis, & ſubinde teſtem habuit; ſi teſtimonium potius, quam diuinatio dici debet, quando ducis perfecti munia hunc è paucis obiturum, prædixerat. Cuius rei fidem non attinet per cetera militarium officiorum operumque decora affirmare, ſi tempus illud agitemus, quo domi jam quodammodo ad quietem valetudini curandæ neceſſariam compoſitus, illuſtriſſimo duci Banerio ſucceſſor expetitus eſt. Ejecta erant paſſim locis opportunis, præſertim per Saxoniam, Suecorum præſidia: Sileſiâ amiſsâ, ne Görlicium quidem in Luſatia, ſingularis Wanckii in propugnando virtus tenuerat: Guelferbyti obſidio, & mox fœderatorum vires, ſolutæ: apud exercitum duces diſſidio, milites querelis, hoſtilibus inſidiis op-

portuna omnia fecerant. Hunc
1641. rerum ſtatum Torſtenſonius ſummo cum imperio miſſus, in melius vertit: redditaque exercitui diſciplina, terrorem, fugam, vulnera, quaqua incederet, in hoſtem tulit. Inter plurima, quæ ab hoſte recepit, Glogouiæ, ſitu, opere, præſidio, munitiſſimæ vrbis, expugnatio, vnius & alterius horæ opus, & in cetera belli, ſubſidium eſt. Sueinicio pari celeritate domito, princeps Lauenburgicus, ſera auxilia, egregiam militum manum, in manus victoris, captiuus ipſe, intulit. Vix tertius agebatur menſis, cum Sileſia fere omnis vi metuque ſubacta eſt. Promoto in Morauiam bello, Olomucium caput rerum, intra paucos dies cum tanto belli inſtructu apparatuque in poteſtate fuit, vt irreparabilem eam jacturam hoſtis vltro fateretur. Ut reſurgeret interim noua in Suecos belli moles, tum cætera ſtre-

nue

nue administrata sunt, tum Archi-Dux Leopoldus Guilhelmus delectus est, qui auctoritatem aulæ & dignationem Cæsaris ad exercitum ferret. cuius ductu post res vtrinque fortiter gestas, ventum est ad fatales Lipsiæ campos, & cruentum illum nomini Germanico diem, quo Torstensonius, nobilissimum Cæsaris exercitum, non sine magno labore atque discrimine profligauit; omnique præda cum ducentis circiter signis potitus, ea deinde gessit, quæ alijs locis retulimus. Expedita vero in consilijs capiendis dexteritas, in exequendis dispositio, erat. Jngenijs quæ magnarum rerum administrationi adhiberet, eligendis & conciliandis, sine vlla nationis aut conditionis æmulatione, candore beneuolentissimo studebat; satis gnarus, frustra salubriter summam rerum destinari, nisi prospectum fuerit, ne partes labent. Militi- 1642.

bus & præfectis, carum juxta & venerandum eius nomen facile obtinuit, vt quamuis ardua, non sine profundo tamen consilio aggressum, nunquam ægre sequerentur; quinimo testimonium eius certarent mereri, haud dubio compendij aut honoris, vel statim in castris repræsentando, vel si maius operæ pretium esset, apud Reginam impetrando, præmio. Comitas aderat & humanitas, & moris etiam aulici elegantia, qualis in ijs laudari solet, quorum omne in ciuili cultu studium versatur. Expleto imperij militaris summi quinquennio, in quod fortuna publica multas magnasque rerum vices contulit, domi Senatorium decus, aliaque honorum & munerum, insignibus itidem meritis illustrauit: vt merito omnem memoriæ & nomini eius honorem habere debeant, qui vel intelligunt, quousque virtus summa progredi possit,

possit, vel, quæ publicæ in Suecia rei momenta & incrementa, quibus temporum articulis conferantur, æstimant. Verum, vt ad negotiationem pacis reuertamur, confectis de nauigatione & transitu, quæ dixi, longe major restabat moles in securitate paci constituenda, & cautione de non amplius turbando formanda. Hic durissimus totius negotij nodus erat: Igitur res non vnas moras traxit. cum præsertim Hollandiæ quoque Legati noua domo mandata expectarent: & Mediatores postulatis Succicis parum fauerent. Absque hoc autem si esset, frustra de ceteris conueniri, exemplis priorum temporum Succi demonstratum „ ibant. Quid enim aliud nunc „ concessisse Danos, quam liber„ tatem commerciorum, tot pa„ ctionibus jam olim debitam? „ Transactioni Stetinensi anno 1541.
„ CIↃIↃLXX. firmatæ, successisse 1613.
 1624

griæ, Eſthoniæ, Liuoniæ ciuibus, magiſtris nauium, exercitoribus, nautis, itemque mercibus, nullo genere excepto, etiam armis & bellicis inſtrumentis, liberum per maria Oreſunticum & Balthicum tranſitum, cum immunitate vectigalis, more antiquo in poſterum ſartum tectum eſſe conſeruandum; abrogatâ omni detentione, inquiſitione, aut quacunque moleſtia. Atque ne deinceps è literis naualibus, quas Certificationes appellant, controuerſia reſurgeret, certa formula pactis inſerta eſt, qua tum Suedicis mercibus onuſtæ naues, tum quæ partim Suedicas partim alienas portarent inſtrui deberent. Deſcriptum etiam, quid in occurſu mutuo aut apud caſtella Oreſuntica, & Nyborgi à nauibus exigendum; ſicuti &, quid in copijs militaribus per fretum Oreſunticum nauigantibus tenendum ſit. Albis Gothicus ad

fines

fines Noruegiæ & Weſtrogothiæ, repurgato alueo, priſtinam libertatem recepit. vectigal Rudenſe ſublatum; nec minus Glückſtadienſe, quantum ad Suecos attinet, omiſſum. Jmmunitas mercantium, quam in Suecia Dani & Noruegi, in Dania & Noruegia Sueci antiquitus habebant, ſaluo jure immunitatis Suedicæ in Oreſunda, abrogata eſt, ne litium materies ſubinde exiſteret. Pomeranis, & Wiſmariæ reſtitutum jus antiquum, pactione Othonienſi deſcriptum. Ut hactenus proficeret negotiatio pacis, victoria Jancouienſis, vt ante cœpimus dicere, haud parum profuit. Non omittenda igitur videtur quædam eius rei commemoratio. Torſtenſonius vbi animaduertit, Cæſareos in Bohemia, quo ſe etiam exiles reliquiæ concluſionis Bernburgenſis & Magdeburgenſis, quæ maximæ inſtar cladis fuit, receperant, vires, 1560.

& bellum reſtaurare ; illuc ſibi quoque ſine morâ contendendum exiſtimauit. Nam ſi impediri non liceret coitiones hoſtilium copiarum , Ragozio tamen animum addi, Gallorum deſiderio de communibus propoſitis morem geri , tum translatis in Cæſaris patrimonium armis, conſilia pacificationis Oſnabrugenſis maturari , Pomeranis denique & Megapolitanis ditionibus ſecuritatem præſtari , cernebat. Et hoſtis quidem ad reparandam fortunam , nihil ſibi ad ſummam induſtriam & feſtinationem reliqui fecerat. Hazfeldius , qui ſummæ rerum præeſſet , lectus; Gœzius ex Hungaria accitus; Werdanus cum Bauaricis copijs adeſſe juſſus. his, vt in Torſtenſonium irent, & poſtquam vltro ipſum aduentare cognitum eſt , prœlio confligerent, mandatum. Præſtabant numero equitatus : peditatu Torſtenſonio pares. qui pugnam ſibi minime detrectandam

ratus

ratus, itinere varie commutato, locum & tempus dimicandi aptum, quasi aduersus insequentes quæsiuit. sed dum hostes eodem consilio vtuntur, moram aliquam necesse fuit interuenire: donec die festo memoriæ S. Matthiæ dicato, apud Jancouiam, locis propter colles & syluas maxime inæqualibus, adeoque varios casus recipientibus, toto die acerrime concursum est. Jngenti denique clade prostratis hostibus, occiso Gözio, Hazfeldio & magnis ducibus alijs captis, tormentis cum omni instrumento castrensi in ditionem redactis, (nam impedimenta ante certamen in locum tutiorem translata erant) victoribus Austria patuit, magnorumque ad summam belli consiliorum & profectuum occasio nata est. Sicut non leuibus indicijs fateri possunt, pressus seruitute Danubius, tentata Jmperij clausstra, terror ad portas Viennæ pro- 24. Febr.

prolatus. Jn poſtrema hac de ſeptem majoribus, ab initio Suedicorum in Germania armorum pugnatis pugnis, Cæſareis inter multos rectores incertum regimen, & dum plures imperare cupiunt, artes ducis defuere. parum certe aut nihil arbitrio Hazfeldij, cui ob inſignem militarem famam, ceteri parere juſſi erant, actum eſt. At apud Suecos Torſtenſonius, maximis quibusque omnis æui ducibus comparandus, prouiſu, diſpoſitione, omnique imperatoria virtute in tantum illo die inualuit, vt promptiora omnia ſucceſſori tradere potuerit, ſi tum miſſionem impetraſſet. Cum enim crebra valetudine debilitatus, pæne defectum robur artuum, ſola firmitudine animi ſuſtineret, ſæpe in alium transferri impoſitam ſuis humeris molem petijt: ſed tunc iterum in annum ſequentem dilatus eſt. Videbat Suecia, quantum huius viri ope

pro-

rofeciſſet: qui à puero bellis primum Liuonicis innutritus, Guſtauum Adolphum Magnum, magiſtrum per omnia clariſſimæ ndolis, & ſubinde teſtem habuit; i teſtimonium potius, quam diuinatio dici debet, quando ducis perfecti munia hunc è paucis obiturum, prædixerat. Cuius rei idem non attinet per cetera militarium officiorum operumque decora affirmare, ſi tempus illud gitemus, quo domi jam quodammodo ad quietem valetudini curandæ neceſſariam compoſitus, lluſtriſſimo duci Banerio ſucceſſor expetitus eſt. Ejecta erant paſſim ocis opportunis, præſertim per Saxoniam, Suecorum præſidia: Sileſiâ miſsâ, ne Görlicium quidem in Luſatia, ſingularis Wanckii in propugnando virtus tenuerat: Guelferbyti obſidio, & mox fœderatorum vires, ſolutæ: apud exercitum duces diſſidio, milites querelis, hoſtilibus inſidiis op-

portuna omnia fecerant. Hunc
1641. rerum ſtatum Torſtenſonius ſummo cum imperio miſſus, in melius vertit: redditaque exercitui diſciplina, terrorem, fugam, vulnera, quaqua incederet, in hoſtem tulit. Inter plurima, quæ ab hoſte recepit, Glogouiæ, ſitu, opere, præſidio, munitiſſimæ vrbis, expugnatio, vnius & alterius horæ opus, & in cetera belli, ſubſidium eſt. Sueinicio pari celeritate domito, princeps Lauenburgicus, ſera auxilia, egregiam militum manum, in manus victoris, captiuus ipſe, intulit. Vix tertius agebatur menſis, cum Sileſia fere omnis vi metuque ſubacta eſt. Promoto in Morauiam bello, Olomucium caput rerum, intra paucos dies cum tanto belli inſtructu apparatuque in poteſtate fuit, vt irreparabilem eam jacturam hoſtis vltro fateretur. Vt reſurgeret interim noua in Suecos belli moles, tum cætera ſtre-

nue

nue administrata sunt, tum Archi-Dux Leopoldus Guilhelmus delectus est, qui auctoritatem aulæ & dignationem Cæsaris ad exercitum ferret. cuius ductu post res vtrinque fortiter gestas, ventum est ad fatales Lipsiæ campos, & cruentum illum nomini Germanico diem, quo Torstensonius, nobilissimum Cæsaris exercitum, non sine magno labore atque discrimine profligauit; omnique præda cum ducentis circiter signis potitus, ea deinde gessit, quæ alijs locis retulimus. Expedita vero in consilijs capiendis dexteritas, in exequendis dispositio, erat. Jngenijs quæ magnarum rerum administrationi adhiberet, eligendis & conciliandis, sine vlla nationis aut conditionis æmulatione, candore beneuolentissimo studebat; satis gnarus, frustra salubriter summam rerum destinari, nisi prospectum fuerit, ne partes labent. Militi- 1642.

bus & præfectis, carum juxta & venerandum eius nomen facile obtinuit, vt quamuis ardua, non sine profundo tamen consilio aggressum, nunquam ægre sequerentur; quinimo testimonium eius certarent mereri, haud dubio compendij aut honoris, vel statim in castris repræsentando, vel si maius operæ pretium esset, apud Reginam impetrando, præmio. Comitas aderat & humanitas, & moris etiam aulici elegantia, qualis in ijs laudari solet, quorum omne in ciuili cultu studium versatur. Expleto imperij militaris summi quinquennio, in quod fortuna publica multas magnasque rerum vices contulit, domi Senatorium decus, aliaque honorum & munerum, insignibus itidem meritis illustrauit: vt merito omnem memoriæ & nomini eius honorem habere debeant, qui vel intelligunt, quousque virtus summa progredi possit,

poſſit, vel, quæ publicæ in Succia rei momenta & incrementa, quibus temporum articulis conferantur, æſtimant. Verum, vt ad negotiationem pacis reuertamur, confectis de nauigatione & tranſitu, quæ dixi, longe major reſtabat moles in ſecuritate paci conſtituenda, & cautione de non amplius turbando formanda. Hic duriſſimus totius negotij nodus erat: Igitur res non vnas moras traxit. cum præſertim Hollandiæ quoque Legati noua domo mandata expectarent: & Mediatores poſtulatis Succicis parum fauerent. Abſque hoc autem ſi eſſet, fruſtra de ceteris conueniri, exemplis priorum temporum Succi demonſtratum „ibant. Quid enim aliud nunc „conceſſiſſe Danos, quam liber„tatem commerciorum, tot pa„ctionibus jam olim debitam? „Tranſactioni Stetinenſi anno 1541.
„CIↃIↃLXX. firmatæ, ſucceſſiſſe 1613.
 1624

„complures alias, quarum ta-
„men semper conuulsa à Danis
„authoritas sit. Igitur Reginam,
„tot maiorum suorum pericu-
„lis admonitam, securitati
„suæ merito consultum cupe-
„re. Merces Suedicas magnam
„partem in Danorum nauibus
„versari, vnoque veluti ictu præ-
„cidi posse, quando à mense
„Maio in Septembrem, exigui
„scilicet temporis spatio, omnes
„naues Suedicæ quasi turmatim
„per fretum Oresunticum trans-
„eunt. exempla in propinquo
„esse, non aliena modo, de
„vexationibus Anglorum & Sco-
„torum, Hanseaticarum ciuita-
„tum, Hollandorum, aliorum-
1623. „que, sed domestica; Quando
1643. „& Rex Gustauus Adolphus Ma-
„gnus, & Regina Christina in-
„dignis modis tractari cœperint.
„Neminem utique hominem
„Succum pacem suadere posse
„charta & atramento nixam, si

pignus

„ pignus ſecuritatis idoneum ab-
„ eſſe. Hæc cum Sequeſtribus non
iniqua denique viderentur, cœ-
pta eſt manus admoueri negotio, 29. Mart.
poſt trimeſtre tempus exitum vix
habituro. Proponebatur primo
reſtitutio Jutiæ, excepta Venſilia
inter ſinum Liuonicum & mare;
vt in vicem Rex Daniæ, conſti-
tuto in poſterum vtriusque regni
limite, in medio freto Oreſunti-
co, Scaniam, Hallandiam, Ble-
ckingiam, Suecis jure perpetuo
poſſidendas, cederet. Addeban-
tur & alia ſtabiliendæ nauigatio-
nis & pacis. Quæ cum accepiſ-
ſent Sequeſtres, antequam Danos
appellarent, de Holſatia & Bre- 31. Mart.
menſi ditione reſtituendis interro-
gare cœperunt. Reſponſum,
„ quamuis ſufficeret Jutia, Hol-
„ ſatiam tamen, ſi pax conueni-
„ ret, excepto Pinnebergenſi Co-
„ mitatu, addi poſſe. Bremen-
„ ſis agri aliam rationem eſſe: in-
„ debitum Regi Daniæ patrimo-

„nium Eccleſiaſticum, Regem „Guſtauum Magnum ab hoſti„bus recepiſſe & auunculo ſuo „tradidiſſe: in quo ſe poſtea Regis „Daniæ Filius eo modo colloca„uit, qui non eſt ignotus. re„cuperatum nouiſſime armis „Suedicis, non contineri ſuis „mandatis. Nec latere Regem „Daniæ, quid ipſe circa id genus „jura filiorum ſuorum anno „CIↃIↃCXXIX ſtatuerit. Sequeſtribus nimis duras ſibi videri has conditiones, affirmantibus, vt ante omnia ex Danis cognoſcerent, quid in fidem ſecuritatis offerretur, permiſſum eſt. Jnterjectis aliquot diebus, cum redijſſent Sequeſtres, Thuillerius actor & interpres ceterorum expoſuit: „Non ſemel Danis hactenus in„dicatum, quod re non verbis „literisque ſibi caueri vellent „Sueci; iſtos exiſtimaſſe, ſibi „potius cautione ſatisfacien„dum: donec perſpecto, nul-

8. April.

lam

„lam pacis ſpem absque cautio-
„ne ſupereſſe, oſtendi ſibi pete-
„rent, quid cautionis nomine
„poſtularetur. Suadebant ergo Sequeſtres, vt de rigore conditionum, antequam ad Danos perferrentur, aliquid remittere Sueci vellent. Illi, re deliberata, quàm non inique, huic propoſito inſiſterent, iterum teſtati, Sequeſtribus denuo negotium, ſi tentare placeret, quantum effici poſſet, commendarunt. Non erant autem valde proni Sequeſtres ad promouendam tantam Suedicarum opum accenſionem: „Itaque jam ante regeſſerant; Re-
„gis Daniæ ſtatum talibus poſtu-
„latis tentari, quæ nec absque
„Ordinum Danicorum conſen-
„ſu poſſent concedi: verſari ad-
„huc in manibus Danorum, quæ
„peterentur, non niſi armis adi-
„piſcenda; bellum denique præ-
„optandum videri paci, his con-
„ditionibus redimendæ. At Sue-

ci redituros ad ingenium Danos rati, vt primum occasio, cui studiosius quam antea insidiaturi essent, offerretur; animum inducere non poterant, quin securitatem sui status firmioribus præsidijs firmandam, existimarent. Hic erat animorum habitus, cum ad Suecos reuersi Sequestres retu„lerunt; Danos postquam ob ocu„los illis ponebatur, quantum „periclitarentur, vltro fassos es„se, Suecorum armis se succum„bere; sed iniqua postulari, re„spondisse; præsertim quantum „ad terras jure perpetuo ceden„das: neque enim vel Regis ar„bitrio id relictum, vel ab Ordi„nibus expectandum; se certe „nunquam assensuros pactioni, „tantum in rem Danicam detri„menti illaturæ: sufficere Suecis „debere, si impensæ belli repen„dantur, & hypotheca interim „constituatur. neque plura se „in simili fortuna Suecorum,

cum

„cum præcipuas aliquot arces
„eorum in manibus haberent, 1613.
exegiſſe; His adijcebant Sequeſtres ſuum conſilium: non re-
„pudianda, quæ offerrentur; ſic
„enim pacem firmari non atra-
„mento & charta, ſed Danorum
„impotentia, ex immunitate ve-
„ctigalium oritura; cum non
„dubitetur, fore, vt exemplum
„tale intelligant aliæ nationes
„& ſequantur. Suecorum Commiſſarij, quam diuerſa comparatentur, oſtendebant. Anno enim huius ſeculi tertio decimo paucas Suecorum arces obtinebant Dani, nunc de integro Regis Daniæ ſtatu reſtituendo agebatur. Ordinum Regni conſenſus non minus Suecis in re tanta, quã Danis, neceſſarius erat. Exempla ceſſionis perpetuæ longe altiori repetita principio afferebantur. Gothlandia, Oſilia, Jemtia, Hallandia, Scania, Bleckingia, Sucdicæ quondam ditionis,
ceſ-

ceſſione profecto ad Danos peruenerant. Sicut non fruſtra hæc dici Sequeſtres animaduertebant, ita prioris ſui conſilij rationem commendare non deſinebant: donec Sueci, conſultandi cauſſa paulum digreſſi, mox reſpon-
„derunt: Se, quamuis ſatis eſſet
„conſilij in mandatis accurate
„obſequendis, Reginæ tamen
„ſententiam, in re tam ardua re-
„quiſituros; æquum autem eſſe,
„vt & Danorum Commiſſarij Re-
„gem ſuum interea conſulant,
„ne hærendum eſſet, ſi Regina
„conſilio Sequeſtrium non ob-
temperaret. Tempus quarto decimo die finitum longiores moras traxit, ſicut paulo poſt trademus. Sed & hæc dilatio negotij non minimam partem Legatis Hollandicis debebatur: qui noua domo mandata, de communi cauſſa cum Suecis tuenda, deſiderari à ſe, ſignificauerant. Miſſus ſtatim Holmiam Secretarius

tius Jſraël Jſraëlis, qui Lagerfeldius deinceps erit; ob valetudinem Reginæ, non niſi poſt initium Maij remitti potuit. Erat hæc res plena ancipitis conſultationis. Quid ſi enim Dani obfirmato animo circumſpicerent externa auxilia, placatisque nonnullis nationibus offerrent inſulas quaſdam, aut jura ſua in portubus quibusdam, loco pignoris pro pecuniæ ſummis ingentibus; inſtaurandique belli conſilijs fortius operam darent? An tum ſpes magna & certa Suecis, Daniam cito opprimendi, manuque armata conſequendi cautionem, qualis expetitur? Jam totius perturbatio Europæ, jam vicinorum æmulatio, & oculi maligni, tum incerti bellorum euentus, qui hominum ingenia animosq; nimis mobiliter ſæpe transferunt, multum conſiderationis merebantur. Ex diuerſo: an hoſti inſtrumenta vltionis concedenda? an pacis imago, 12. April.

tan-

tanquam pro Junone nubes, amplectenda? & ad eundem totiens lapidem impingendum, si præsertim temporis ad firmandam securitatem Regni Suedici opportunitas, vix alias reditura, quasi è manibus dimittatur? Impensæ autem belli, quâ litis æstimatione taxandæ? quo pignore, quo tempore, quo solutionis genere definiendæ? tum, si quæ loca fundandæ securitati obtineri aut permutari possint; quæ quibus præferenda, quæ potius speranda, cis aut vltra Oresundam, vel in Jutiâ vel in Holsatiâ? Hæc atque talia, quamuis prouidentissimo consilio jam pridem meditata erant ac deliberata: in ipso tamen articulo ardui tractatus non poterant non diuersas cogitationes, dubitationes, moras afferre. Domi quoque danda erat opera, vt ciuium Succorum animi, adhibitis in consilium primoribus, ac senioribus Ordinum, ex proximo inprimis, in omnem

omnem euentum præparatentur. Adeo nihil ſolidæ ſpei de exitu hujus negotiationis apparebat. Jnterea Cancellarius Oxenſtierna, poſtquam dimiſſus eſt ad Reginam Secretarius, Legatum Gallicum literis Sôderacræ datis ſubmonuit de poſtulatorum æquitate, litium cum Danis conditione, Danicorum promiſſorum fide; præſertim autem de illa deſcriminis mole, quam Suecia ob communem cum Gallis cauſſam ſuſtinebat, quamque nouis periculis augeri non erat conſentaneum. Rogauit ſubinde, vt auctoritate ſui Regis & ſua vteretur, in perſuadendo Danis, quod jus & æquum poſtulat; ſi Regina judicauerit, ſine ceſſione perpetua certarum terrarum neque ſuæ ſecuritati, neque rei æquitati ſatisfieri, atque adeo conſilio ſemel capto inſtiterit. Tum enim, niſi his impetratis, nullam negotiationem ſupereſſe, ſed in tem-

pora magis idonea rem totam differri, prædicebat. Respondit Thuillerius, curæ sibi negotium esse: missumque jam à Commissarijs ad Regem, qui requireret, quæ ad conficienda omnia pertinerent. Calmarniam concesserant Suecorum Commissarij, congressuque Sequestrium abstinebant. nisi quod Legati Hollandici familiarius ad eos inuisere non omiserunt. E quibus Gerhardo Scaepio Consuli Amster-
11. April. damensi & Joachimo Andreæ asseuerabant Succi, nullam securitatem sibi aut Belgis, circa moderamen vectigalis, ostendi, quicquid de immuni transitu promittatur, nisi alterum littus freti Oresuntici Danis adimatur. Illis valde probabantur, quæ ad metum futuri temporis spectabant; alterum illud, de litore Oresuntico, per modum negotiationis & tractatus obtineri posse, non videbatur. Succi in vicem

cem demonſtrabant : Reginam certe dulcibus verbis induci non poſſe, vt poſſeſſa, vltro reſtitueret. neque minus ægre huc deſcenſum iri, quam à Danis ad altera illa conſilia. Illata hinc mentione propoſiti Fœderatorum Ordinum, ſi pax non conueniret, Legati ſe habere literas Ordinum, profeſſi ſunt, quibus voto Reginæ & priſtini fœderis formulæ ſatisfactum iretur; paululum tamen adhuc differri negotium expetentes. Ea mora ne nimia eſſet, vtque mandata ſufficientia domo impetrarentur, Sueci contendebant. Jactæ interim ab Hollandis ſignificationes ſimultatum aduerſus Danos, Corneficium Vlfeldium, Legationis Danicæ principem, permouerunt, vt, cum amicis ne an cum inimicis ſibi res eſſet, coram paulo acriùs requirendum judicaret. Et Legatis quidem Hollandicis nuntius domo ſubmiſſus noua con-

3. Maij. silia attulerat. Wittenius igitur cum Collegis Söderacræ collocutus, à Regijs Suecorum Commissarijs audiri postulauit. Oratio „eius talis fuit : Fœderati Ordi„nes , postquam Sereniſſimæ „Reginæ consilium , superiore „anno Holmiæ propositum , af„ferentibus Bickero & Stauenis„sio ea causſa domum regressis , „cognouerunt, non omittendum „putarunt, quin ex fœdere decer„nerent sua arma & consilia cum „vestris conjungere, omnemque „pacis negotiationem vobiscum „sociare. Jd vt vobis significe„mus, depositaq; Sequestrium per„sona ad vestras accedamus par„tes, in mandatis habemus. Da„nis autem jussi sumus dicere : „quandoquidem non ignotum „ipsis esset, quemadmodum Or„dinum Belgij jura , pacta , fœ„dera , imminui sæpe ac turbari „cœperint ; igitur Ordines, qui„bus cum Regina & Regno Suecorum

„ corum amicitia est ac societas,
„ non posse non postulare, vt
„ æque Regno Sueciæ ac sibi de
„ iniurijs satisfiat; sperarique,
„ animum Danorum à re tam
„ æqua non alienum. Conduxe-
„ runt porro Ordines quinque
„ millia virorum, instruendis
„ nauta ac milite quinquaginta
„ nauibus bellicis, quæ, si non
„ æque ipsis ac Reginæ satisfaci-
„ ant Dani, Oresunticum fretum
„ ingrediantur, atque, si ita res
„ ferat, cum vestris conjungant
„ vires, ad extorquendam Regi
„ Daniæ nauigationis & com-
„ merciorum libertatem. Vecti-
„ gal autem in Oresunda exigi
„ solitum, domi de nauibus mer-
„ catorijs ceperunt Ordines, Regi-
„ que Daniæ denuntiarunt: ne à
„ suis ciuibus vectigal exigeret,
„ sed consignatis tantum naui-
„ bus ac mercibus immunem
„ transitum concederet, donec
„ de modo vectigalis soluendi in

„negotiatione pacis conuenerit.
„Id si abnuat Rex Daniæ, præfe-
„ctus classis nostræ præsidio esse
„nauibus transeuntibus jussus est.
„sicuti autem fore speramus, vt
„omnino impetretis, quæ de
„transitus libertate, & vectigali-
„um immunitate petitis: ita
„communem nobiscum causſam
„vos acturos, omniaque conjun-
„ctâ operâ, vel disceptaturos,
„vel decreturos esse, nulli dubi-
„tamus. Atque hæc sunt, quæ
„domo mandata accepimus.
Quibus Commissarij Suedici
„cognitis responderunt: Jampri-
„dem expectari Ordinum Fœde-
„ratorum sententiam à Succis,
„ad coniungenda vtriusque po-
„puli commoda abunde pronis,
„neque quicquam factu melius
„apparere, quam vt deposita
„quamprimum Sequestrium per-
„sona, suam causſam cum Re-
„ginæ propositis conjungant Or-
„dines. qua de re vt amplius
aga-

„agatur, idoneis se mandatis in-
„structos esse. Ante omnia igi-
„tur inspiciendam utrinque man-
„datorum formulam, vnde de
„tota negotij tractandi ratione
„constare posset, si forte vel Sue-
„corum vel Belgarum caussa
„continuandum bellum, & Rex
„Daniæ ad satisfaciendum vtris-
„que vi adigendus esset. Jmmine-
„re Suecorum non commercijs
„modo, sed statui periculum in-
„gens, vel manente bello vel
„finito. Eapropter accuratius
„omnia ponderari debere, ne
„quid in conditionibus, nisi quod
„æqui bonique rationem habe-
ret, admittatur. Multis verbis vl-
tro citroque habitis, cum anim-
aduerti denique posset, nondum
satis deliberatum Belgis ac con-
stitutum, quomodo rem tractari
oporteret, Söderacram ad Colle-
gas, quasi consultatum, iuit Wit-
tenius. Suecis ad Reginam se
audita relaturos affirmantibus.

Adierunt posthæc aliquoties Wittenius cum Collegis Danorum Commissarios, (qui & inuicem ad colloquium venerant,) atque in hanc sententiam egerunt: Fœderatos Belgij Ordines, cum animaduerterent, in eo esse, vt bellum Suecos inter Danosque componatur, magnopere ad se pertinere inoffensum ac imperturbatũ commerciorum in Oresunda cursum judicasse; eoque sibi iniunxisse, vt libertatis Ordinum, communi gentium jure, & pactis Spirensibus munitæ, rationem haberi postularent. Repudiarunt ista Dani, neq; eo tamen minus, Regem suum non abhorrere à peculiari, cum Ordinibus transactione, de certo vectigalis modo constituendo ostenderunt. Hinc de tollendis prorsus inquisitionibus nauium sermo inferri cœpit, sicut & de certa taxatione omnium per Oresundam transmitti solita-

litarum mercium; Danis rem amplius deliberandam ſuſcipientibus. Commemorauit hæc reuerſus ad Suecos Wittenius, iteratis, quæ ante dixerat: quando nimirum res communi ope mutuisque auxilijs in conditionum armorumque tractatu in poſterum tuenda eſſet, igitur non alia ab Suecis, quam quæ à coniunctiſſimis ſocijs expectantur, officia „ſperari. Ad quæ Succi; quam „pronum gerat ad communican„da conſilia & arma animum „Regina noſtra, non modo ſub „primum Legationis veſtræ ad„uentum, Holmiæ, ſed hic quo„que abunde hactenus perſpexi„ſtis. quin & de ſocianda vobis„cum negotiatione mandata & „inſtrumentum procurationis, in „promptu habemus. Commu„nis nos cauſſa ſociat, ne com„mercia perturbentur. non „commiſſuros vos tamen ſpera„mus, vt ſeponi velitis, ſi quid

„alterius litis, vt in contentione „fieri solet, subnatum fuerit. „omnia igitur sedulo decet prætractari. E varijs sermonibus patuit, deesse Legatis mandatorum in hac re formulam, & instrumentum procuratorium; non inficiante Wittenio, literis se publicis peculiaribus, fidem & potestatem agendi cum Danis, munientibus defici, nisi quod exhibere, quæcunque in mandatis accepisset, nihil vereretur. Inter„rogauit subinde, an in postе„rum partium nomine negotia„tioni interesse, communesque „spes communi opera promouere deberent? Responsum est: „nihil amplius Succos arcani „habere, præter ea negotia, quæ „communicata sint cum ipsis, „tum in commercijs, tum in re„liquis rebus. securitatem nunc „potissimum quæri. non recu10 Maÿ. „sare se, quo minus alteri alteris in „negotiatione præsto essent. Biduo

post

poſt, cum omnes Legati Hollandici Sœderacræ ad Suecos inuiſerent, eademque de conſilio Ordinum, quæ Wittenius, referrent; accurate ijs demonſtratum eſt quid Holmiæ actum, quibus cum Reginæ reſponſis, Bickerus & Staueniſſius domum remiſſi fuerint. promiſiſſe eos, ſub finem Februarij, noua mandata & procuratorium, de ſociandâ cum Suecis operâ, ſe allaturos eſſe: ſimul his, exhibuerunt Sueci inſtrumentum procurationis, atque vt inuicem Legati Ordinum oſtenderent ſuum, flagitarunt. Hic iterum fateri eos oportuit, nihil ſe præter mandata, de quibus dictum, accepiſſe. ea tamen eiusmodi eſſe dixerunt, vt ſperari abunde queat, Suecis, quantum ad commercia ſatisfactum iri. Juſſos ſe pari paſſu incedere in negotiatione, primum juris atque compoſitionis via: qua ſi depellerentur, alio pacto rem

„aggrediendam. At nos non
„dubitabamus, inquiunt Sueci,
„vos idonea instructos potestate,
„accessisse ad tractanda nobis-
„cum, quæ ratio fœderis, atque
„capti semel consilij, denique
„tempus ipsum, si præsertim pax
„non conuenerit postulat. Neq;
„adeo nunc aliter existimare su-
„stinemus, quam fore, vt primo
„quoque tempore plena facultа-
„te negotiandi in hac re munia-
„tur vestra Legatio. Et fœdus
„quidem, quod nobiscum vobis
„est, commerciorum præcipue
„libertatem spectare, non nega-
„mus: sed postquam ad arma
„deuentum est, abesse non pot-
„erat, quin aliæ etiam lites ac-
„cederent, quarum compositio-
„ne Reginæ opus est, non sine
„magno vtique discrimine sum-
„tuque gerenti bellum, cuius
„fructum Ordinibus Belgicis
„amicitia & fœdere junctis ne-
„quaquam inuidet. Interrogati
de-

deinde Legati Hollandici, Sequestrium ne, an partium nomine in posterum censeri vellent; interpositâ morâ, cum Thuillerium in officio reconciliandæ pacis solum reliquissent, biduo post, partes professi sunt, atque vale Danis dicto se propediem Sœderacram venturos, promiserunt. „Adiectum est: procurationis in„strumentum domo impetra„tum iri: cum hactenus existi„massent, mandata Ordinum „sufficere, & apparatum classis, „maius profecto charta & literis „argumentum haberi oportere. Probarunt Sueci consilium, atque in communi caussâ tanto maius Fœderatorum Ordinum versari commodum demonstrarunt, quanto certius sit, omnem Reipublicæ illius statum commerciorum & negotiationum, inprimis per Oresundam, profectu fundari. Cum post hæc Legati Ordinum, Danorum Commissa- 13. Maij.

missarijs significarent, se ex fœdere, quod cum Suecis pro commerciorum libertate Ordines percussserant, jussos transire in partes, sociatâque operâ commune negotium exequi, Dani, vt seorsum paciscerentur, eos cohortati, omnino impetrari posse, quæ satisfacerent ipsis, ostenderunt. Legati & fœdere se & mandatis peculiaribus, quo minus oblata admitterent, prohiberi testati, dis-
14. Maij. cesserunt Christianopoli, atque apud limites regni Brömsebroenses, si quid vellent Dani, responderi posse, declararunt: depositoque Sequestrium munere, susceptas Suecorum partes denuo per Thuillerium denuntiari curantes. Reliquerant autem Chri-
16. Maij. stianopoli Secretarium, per quem Dani pronum ad peculiares pactiones animum iterum professi, deinde Nobilem ex suis familiaribus ablegant, & à Legatis Ordinum, vt Christianopolim reuersi

uersi negotiationē suæ controuersiæ resumere velint, contendunt. Sumto ad deliberandum spatio, quanquam commodius videri poterat Belgicis rationibus, apud Brömsebroam tractari negotium, instantibus tamen Danis, qui præiudicium ex eo loco metuebant, hactenus concesserunt, vt Scaepius & Andreæ Christianopolim proficiscerentur, auditum, quæ offerrentur, neque decreturi quicquam, vt aiebant, absque Suecis. Reuersi ad Suecos de negotio suo in hunc modum disse- „ruerunt: Postquam scripto com- „prehensa, quæ in mandatis ha- „bebamus ab initio Danorum „Commissarijs tradidimus, ne- „que aliud illi, quam formulam „vectigalis, sicut nunc apud „Oresuntica claustra exigitur, re- „miserunt; visum est nobis, „consignare illum vectigalis mo- „dum, quo in posterum Ordini- „bus defungi animus esset. Qua re

26. Maij.

30. Maij.

„re Dani cognita, ſtatim nos „Chriſtianopolim intulerunt ordiendæ negotiationi. Jbi de „præcipuo vectigali, comparatis „vtrinque rationibus ita conveniri potuit, vt quarta pars eius, „quod anno cIↃIↃCXXX apud „Oreſundam poſtulatum eſt, in „poſterum penderetur. De nouis autem exactionum inuentis, „quæ ample cumulata nolebat „remittere Rex Daniæ, acrius „diſceptatum eſt; cum abrogari „poſtularemus, quæ nec moris antiqui, nec pactorum Spirenſium „auctoritate niterentur, jurique „noſtro etiam de cætero aduerſarentur. Eleuabant illi pactorum nomen, atque eo deſcendebant denique, vt dicerent: ſi „tam iniqua peterentur, ſuaſuros potius ſe Regi ſuo, vt portus pateretur intercidere, nulla dolia, nullos ignes, neque „quicquam eius generis, quod „ad dirigendum nauium curſum per-

„pertinet, idoneis locis consti-
„tueret, multo minus nauigatio-
„nes defenderet, saluasq; præsta-
„ret. Respondimus: viderent ipsi
„quid sibi faciendum judicarent;
„nobis nisi istis rebus sublatis, nul-
„lam agendi facultatem relin-
„qui, quibus & illud præcepe-
„rint Ordines, vt inspectiones
„omnes & impedimenta com-
„merciorum cetera, non tolera-
„bili molestia nauigantium ha-
„ctenus vsurpata, amoueri pete-
„remus. Aspernati hoc, tan-
„quam inique expetitum Dani,
„ad molliora subinde flexerunt,
„vt dicerent; tolli posse omnem
„reliquam vexationem, excepta
„inquisitione fraudis insignioris,
„non refractis tamen literis ci-
„stisque exercendâ. Hæc cum
„aliquoties agitata essent, ad
„alia progressi, vt certus Norvve-
„gici vectigalis modus definiretur,
„postulauimus: Negantibus Da-
„nis, aliud negotium moueri
posse,

„posse, antequam controuersia
„de vectigali Oresuntico in expe-
„dito esset. At nos mandatis
„nostris hoc quoque contineri
„affirmauimus. Responsum est:
„non esse spem nullam transi-
„gendi de ceteris vectigalibus:
„sed, quantum ad portus Nor-
„vvegicos attinet, Regi Daniæ
„non ferenda cuiusquam homi-
„num arbitria. Atque hic sub-
„stitimus, ac discessimus. Suecorum Commissarij, gratijs actis pro communicato secum negotio, cum mutuum facturos se ostendissent, satis anim-
„aducrti posse inquiebant, quod
„caussa eorum vtut difficilis, ex-
„plicatus non adeo difficiles esset
„habitura, quando dimissis Spi-
„rensibus pactis & jure gentium,
„de certo vectigalis modo disce-
„ptare cœpissent. Et sane, si quis spectaret Hollandoruni mandata, omnemq; negotiandi rationem, non difficulter intel-

ligi

ligi poterat, ſuis commodis ſtudere Ordines, periculi mole in Suecorum humeros devoluta. Itaque declinabantur hactenus abiis arctioris cum Suecis commercij conditiones, quas illi ſæpius deliberandas ſuggerebant. Verum pars conſilij fuit, indulgere moribus amicorum; iisque comiter ac familiariter vti, quibus Dani ſummâ ope, vt ſuas rationes à Suecis ſeiungerent, perſuaſum ibant. Cum illis iterum in colloquio fuerant Legati Hollandici; modumque vectigalis Oreſuntici exæquari juri incolarum Regni Daniæ contenderant: vnde ad formulam vectigalis perſcribendam, de qua ante, delapſi, Noruegica quoque vectigalia, ſi moderatius exigerentur, non plane detrectauerant. Tum vero Danis omnium nouorum vectigalium & vexationum in Noruegia abolitionem pollicentibus, modumque vectigalis ad

consuetudinem anni CIƆIƆCXXVIII referentibus, addita lege, ne citra consensum Ordinum intenderetur; facile apparuit, exitum ad compositionem reperiri posse. Actum etiam est de fœdere Suedico, cum Dani interrogarent, an ita interpretari illud liceret, vt seorsum paciscerentur Fœderati Belgij Ordines. Negabant Legati, aliam interpretationem formulæ fœderis & mandatis suis conuenire, quam quæ consummari pactionem, nisi Reginæ Sueciæ haud minus ac Ordinibus in commerciorum jure satisfactum esset, vetabat. Quo tempore ista retulerunt Suecorum Commissa-
B. Iunij. rijs Legati Ordinum, domo se accepisse noua mandata cum instrumento procurationis, de ineundo arctiori & perfecto fœdere cum Suecis, exposuerunt. Gratum id habuerunt Sueci, si amicitia, quæ jam tum à fœdere pleno parum distaret, ex vsu vtriusque

que pactis amplificata liberalius explicaretur. Id quod postea, confecto negotio Danico, peculiari pactione tractatum est. Nunc autem nomine Ordinum obhærescere compositionem cœptam ægre ferentium, solicite monebantur Sueci, ne securitatem sui status, in alijs potius rebus quærerent, quàm in Danorum infirmitate, suis victorijs, & fœdere cum Ordinibus. Quæ cum verbis ad persuadendum apprime factis Legati Ordinum inculcarent, non dissimulabant Sueci, victorias Suedicas alijs potius quàm victoribus in quæstu esse: Belgicum fœdus parum hactenus ipsis profuisse, cum sero omnia in Belgio decernantur, & incertum sit, an fœdus hoc magis in posterum, quàm hactenus Danus sit reuerituras: præcipue, si restitutus in pristinum statum ab impotentia conualuerit. Rogabantur ergo Ordines, quorum voluntas

alias præcipuum tranſigendi argumentum Reginæ erat futurum, ne omitti cuperent, quæ ad Sueciæ ſecuritatem, qua & ipſorum ſecuritas magnam partem niteretur, vnice pertinerent. His cohortationibus effectum eſt, vt communi ope ad tranſigendum Legati Ordinum conniterentur, neque à Suecorum partibus ſe abſtrahi, aut ſuam ſeparatim cauſſam componi paterentur. Redierat interea Holmia Secretarius Jſraël Jſraëlis Lagerfeldius cum mandatis
7. *Maij.* ab aula ſummiſſis. Quæ cum accepiſſent Commiſſarij Suecorum, apud Thuillerium in hanc „ſententiam locuti ſunt: Regi„nam Sueciæ per ſe paci valde „pronam, Amicis præterea ſuis „& fœdere junctis etiam atque „etiam obſequi cupere, ſi vlla „poſſet honeſta tutaque Lege qui„es reparari. Verum enim vero, „regni ſalutem fundari imper„turbata, minimeque grauata li-

ber-

„bertate commerciorum ; qui-
„bus nulla vtique ſecuritas ex-
„cogitari poſſit ſtabilis ac perpe-
„tua , dum Rex Daniæ vtriusque
„litoris Oreſuntici ita ſe Domi-
„num ferat , vt in manu habeat
„facultatem aperiendi clauden-
„dique illum canalem , quem ad
„vſum commerciorum , atque
„ortiui occiduique maris con-
„iunctionem DEVS & natura fe-
„cit. Commerciis niti tanquam
„fundamento plerasque reſpub-
„licas : id Galliæ , id Belgij ex-
„emplis non longe petendis con-
„ſtare ; quæ Sueci ex interuallo
„quidem , ſed tamen ſequantur.
„Bellum itaque paci tam intutæ
„præferendum , ſi aliter conue-
niri nequeat. Thuillerius , hæc
eiusmodi eſſe cauſſatus , vt con-
ditionibus acquiri nequeant , in-
terrogaturum ſe prius ex Danis
confirmauit , ſi qua alia ratione
ſatisfacere Suecis pararent : vt
nolentibus aliam legem admit-

tere, denique aperiretur Reginæ propositum. Reuersus ad Sue-
„cos retulit; Danos de periculo
„in quo versarentur, & de ser-
„uandis jactura rebus monitos,
„tandem in hunc sermonem in-
14. Maÿ. „gressos esse, vt Jemtiam expetitis
„à Regina prouincijs ampliorem
„opportuno apud fines Sueciæ
„situ, forte cedi posse dicerent.
„Addidit: non quidem se puta-
„re, ita Reginæ satisfactum; sed
„rem tamen non indignam com-
„memoratu in medium afferre
voluisse. Extenuarunt Sueci Jemtiam, scopulis & paludibus plenam, in qua nihil quicquam momenti ad securitatem commerciorum, quæ ciuibus Suedicis serio ac omni ope paranda esset. Pacem Reginæ cordi esse, sed firmam, neque in bellum difficilius tempore minus opportuno desituram. Arma Suecis extorta, hactenus DEO curæ, quæ si pace commutari velint

Dani, satisfaciendum esse, sicut perebatur. Ad quæ Thuillerius iterum, studio mitigandi conditiones, exquirere cœpit; liceret-ne Danis suggerere locum quendam magni momenti, prouinciam vnam alteramue, vel Osiliam, jure perpetuo à Suecis possidendam; tum ad securitatem commerciorum, vrbem aliquam commodo situ aut portum apud Oresunticum fretum, vt in annos viginti aut circiter concederetur. At Suecorum Commissarij, multum laudandam Thuillerij industriam, quicunque euentus hanc negotiationem maneat, professi, differendum sibi responsum, ob difficultatem rei cum mandatis suis parum conuenientis, judicarunt. In hoc colloquio, Thuillerius graui oratione Suecorum animos tentare aggressus, cum libenter quidem hactenus ad concordiam componendam se conniti, nisi Regina secretas ha-

beret cauſſas Daniam opprimendi, teſtatus eſſet, pacem ex mandato & ſententia ſui Regis ſuadere cœpit, tanquam exigentibus ita rationibus fœderis, quod Gallia cum Sueeis haberet, & cum Belgij Ordinibus: quorum conſilium nullo modo probabat, quando præter Gallici fœderis leges, deſerto communi negotio Suecorum partibus in hoc bello acceſſiſſent. Atque in his exaudiri, non vt Sequeſter, ſed vt Legatus Gallicus cupiebat. „Rurſum Sueci: Reginam in „hunc diem pro communibus „commodis, ſedulo, neque pœ„nitendo ſucceſſu, operam ſu„mere; ſed non poſſe interea „domeſticam ſecuritatem obliui„oni tradere. nullis ſecretis ratio„nibus, ſed Danorum iniurijs ad „arma ventum; quæ vt pace „permutentur, nihilo minus „optari. Hollandos non incu„ſari poſſe ob ſociatam cum Sue-

cis

„cis cauſſam, quorum cunctatio-
„ni vel ideo indulſiſſe Reginam,
„ne deeſſet ipſis occaſio tentandi
„vias pacis; quæ res poſtquam
„ſucceſſu hactenus caruerit, de-
„creuiſſe eos, quod ab initio ſta-
„tim ex fœdere tenebantur facere,
„vt ſociara opera vel negotiatio-
„ni pacis vel tractationi armorum
inuigilaretur. His ita non mol-
li vtrimque ſtudio diſputatis, di-
latum illo die reſponſum Thuil-
lerio apud locum congreſſus po-
ſtea redditum eſt: quo ſignifica-
batur; dignam quidem prædica- 16. Maij.
tione Legati diligentiam, qua pro
„pace conniteretur; ſed ob loci
„ſitum, & perpetuam commer-
„ciorum libertatem, & Dano-
„rum cupiditatem ac conſuetu-
„dinem, aliter Suecorum ſecu-
„ritati proſpici non poſſe, quàm
„illo ipſo termino, quo DEVS
„& natura has terras diſcreuit, id
„eſt, Oreſuntico freto. Licet
„enim nondum obtineantur

„omnia armis quæ petuntur, ta-
„lia tamen possideri, quibus ista
„permutari non absurdum sit;
„neque nullam de euentu & oc-
„cupandis alijs munimentis spem
„esse. Si Rex Daniæ nolit resti-
„tui in suum statum, vel ipso ju-
„dice non obscurum manere,
„Suecos in tali eius tempore ob-
„tulisse conditiones, vnde de
„Christiano & vicinitatis memo-
„re animo posset judicium fieri.
Demonstrabatur etiam Thuille-
rio in tabella cursus nauigationis
per Oresundam; cum periculis,
quæ Smolandiæ & Westro-Go-
thiæ à Scania, Hallandia, Ble-
ckingia immineret. Verum il-
le, sicut fatebatur melius securitati
Sueciæ consuli non posse, quam
diuisione freti, ita spem nullam
ostendebat supereſſe conditioni-
bus rem tantam obtinendi. Quæ
enim tum Danis securitas? ita-
que, si Rex Daniæ Holmiæ cap-
tiuus teneretur, nunquam puta-
bat

bat Ordines Regni Danici talibus postulatis assensuros esse. At Suecí, qui dicerent, nunquam excusaturos posteros consilia eorum, qui concessa diuinitus fortuna pro securitate patriæ lentius vterentur; rogabant Thuillerirum, ne dubitaret disertis verbis postulata sua Danis edisserere, responsumque citra ambages essiagitare. Quod cum se facturum recepisset, reuersus post aliquot dies commemorauit: inter- 20. Maij.
„rogatos Danos, an de postula-
„tis Suecorum aliquid cognouis-
„sent, è Belgio sibi transmissa,
„ostendisse; seque armis malle
„(si ita in fatis sit) quam condi-
„tionibus, exui illis prouinciis,
declarasse. Vnde manifestum fieri, aiebat, satisfacturos Sueciæ Danos, nisi dimidium regni expostuletur. Suecí ista pericula, vt ante, describentes, cum nihil proficerent; quia Thuillerius obniteretur; re dilata post tertium 23. Maij.
diem

diem, in priore ſententia de partienda freti Oreſuntici ditione perſtiterunt. Hinc cœpit & à Danis mora interponi, dum Thuillerius nihil aliud retulit primo, quam Danos, ne nimia poſtula-
27. Maÿ. rentur, rogare; deinde autem, eos Jemtiæ addere Oſiliam ſigni-
2. Iunÿ. ficauit, Scaniæ comparandam, & arce munita nobilem. Frigidius agere ſolito Legatus videbatur. Itaque accurate repetita ſunt Sue-
„dicæ cauſſæ momenta: potuiſſe
„forſitan verbis ſecuros reddi
„Suecos ante arma ſumta, ſicut
„contigerat anno huius ſæculi
„viceſimo quarto; ſed tentata
„belli alea, non eadem æſtima-
„tione negotium meticndum.
„Fruſtra Danorum infirmitatem
„afferri, cum exemplis ſuperio-
„ris ævi ſatis conſtet, quam cito
„exhauſta Chriſtiani II. & Fride-
„rici I. tempore Dania conualu-
„erit. Jemtiam & Oſiliam et-
„iamſi Gothia adderetur, non ſa-
tisfa-

„tisfacere Suecis, nequaquam „dimidium regni, ſed ilam tantum partem petentibus, quam „DEVS & Natura Sueciæ Regno „coniunctam eſse voluerit. Plura ſæpe & maiora in eiusmodi „rebus conceſsa eſse. ab nullo „hoſte plus periculi, quàm à Danis, ſi vetera liceret repetere memoriâ, imminere. Thuillerius iterum congreſsus cum Suecis, Jemtiæ ac Oſiliæ, Halmſtadium addi retulit: atque cum Sueci oſtenderent, deſtinatum fuiſse Danis, ſtatim rumpere pacis fœdera anno CIↃIↃCXXIV icta, niſi in bellum cum Cæſare incidiſſent, militesque aduerſus Sueciam conſcriptos illuc vertere coacti eſsent, ille inſtantius efflagitando effecit, vt ſcripto traderentur tres conditiones: è quibus niſi vnam Dani eligerent, omnia armis agi oporteret. Vel enim reſeruata Hallandiâ, Scaniam & Bleckingiam jure perpetuo Suecis 7. Iunij.

cis Dani cederent, constituto regnorum limite in medio freto Oresuntico, Scaniam inter & Selandiam: vel Hallandiam & Bleckingiam proprie dictam, tum Bahusium & quæ sunt eius ditionis in Norvegia, vha cum Jemtia, pro Holsatia, Jutia, & Scania restituendis; traderent: vel Hallandiam, Bleckingiam, Jemtiam cum insulis, Gothlandiâ & Osiliâ, in manus Suecorum consignarent. Thuillerius ad Suecos revectus, scriptum quidem non exhibuisse se Danis, sed mentem scripti exposuisse, asseverauit. Illi primam conditionem, propter claustra freti Oresuntici, & prædia nobilium familiarum, repudiauerant. Alteram iniquiorem priore censebant: Hallandiam & Bleckingiam præcipua aduersus Suecos regni sui munimenta, quibus demtis nihil terra marique satis tutum, extollentes: Bahusium autem dimidiam regni Norvegici

12. Iunij.

uegici partem æstimantes. Tertia quoq; reiectâ, in ijs quæ ante obtulerant hoc mutabant, vt loco Halmstadij Warbergam cum portu & territorio, vel Gothlandiam nominarent. Verum Sueci leuia sibi offerri reputantes, frustra se in Germania bellare, aiebant, si seruitutem Danicam domi seruiendum esset. Non parum consternatus ea re Thuillerius, nihil supereſſe, respondit, quàm vt Danis plane referret, atque, si profici nihil posset, propediem Suecis valediceret. Quo magis autem periculum erat, ne commercia pacis hoc rerum articulo dirimerentur, eo solicitius de integro conandum sibi duxit, regressusque rogauit Suecos accuratissimis verbis: ne abruptam cuperent negotiationem, non sine ingenti regnorum incommodo, redituro etiam ad se quodam dedecore imperfecti operis. Se omni ope huc adegisse Danos, vt 16. Iunij.

præter Jemtiam Osiliamque, insuper Gothlandiam, perpetuæ compensationis nomine; Halmstadium autem & Laholmiam, cautionis & securitatis loco offerrent. neque hic substitisse, sed & illud petiuisse, vt Hallandia tota securitatis ergo, vt hypotheca, in annos viginti & quinque, aut circiter, Suecis permitteretur. quo & hoc impetraretur, se nihil laboris intermissurum, si potestatem eius rei Sueci facerent, sibique in hunc modum satisfieri paterentur. Ponebantur ob oculos Hallandiæ situs, versus mare occiduum; & vtilitas, Westrogothiæ & parti Smolandiæ obuia; commodi portus commerciorum securitati in Oresuntico & Balthico mari muniendæ. Jemtia & Osilia, quantum Liuoniæ tuendæ conducerent, demonstrabatur. Gothlandia maris Balthici domina, ditioni eis Oresundam firmandæ, prædicabatur.

Ble-

Bleckingiam , quam omitti totam querebantur Sueci , extenuabat Thuillerius : illis contra demonſtrantibus , quantum in ea momenti eſſet, quippe quæ Smolandiam tanquam brachio amplecteretur ac apud mare Balthicum diſtingueret. Hypotheca temporariam ſecuritatem , cuſtodiam difficilem , & expleto tempore noui belli materiam portendere videbatur. Cui rationi vt occurreret Thuillerius, clauſulam hypothecæ addendam, quæ perpetuitati reſponderet, ſuggeſſit: ne recipere fas eſſet Danis , expleto tempore , quod pignoris nomine traditum eſſet, niſi tum aliter ſecuritati Sueciæ cauerent. Regis denique ſui auctoritate muniuit obteſtationem , ne Suecorum Commiſſarij , poſtridie ſaltem per internuntium reſpondere cunctarentur. Fecerunt illi, quod 17. Iunij. expetebatur , miſſoque Secretario permiſerunt Legato Gallico , ſi

vellet cum Danis in hanc ſententiam agere, vt cetera quidem ante nominata, cum Hallandia jure perpetuo Suecis reſignarentur, de Bleckingia autem quædam, Chriſtianſtadio ſcilicet propiora, Danis reſeruarentur: ſi quidem Regina ſuper hoc negotio conſulta annuerit. aliter enim Com-
20. Iunij. miſſarios nolle obligari. Non deſtitit tamen ſubinde Thuillerius Suecos argumentis & precibus fatigare, vt Hallandiam conditione ea, quam deſignauerat, acciperent, perpetuo haud dubie in eorum poteſtate futuram. ita vt ſatis appareret, hoc negotiationis interprete & actore, non poſſe vltra procedi: cum præſertim Hollandi quoque jactitarent, adeptos eſſe Suecos, quæ obtineri poſſe, nemo credidiſſet. Sumto igitur deliberandi ſpatio, Suecorum Commiſſarij poſtularunt, aut Hallandiam jure perpetuo, aut Hallandiam cum Bleckingiæ parte

parte finibus Suedicis proximâ, ſub ea pignoris conditione, de qua dictum. Commercia quippe perpetua eſſe, neque parum incommodi habere temporarium iſtud regimen, oſtendebant: inprimis vbi ratio adminiſtrandi prouincias in tantum diſcrepet; & in Dania quidem ad Oeconomiam, apud Suecos ad militiam referatur. Alterutrum ex his ſi nunc impetrari, quæque antea agitata ſunt, componi queant, nullam tranſactioni conſummandæ moram intercedere. Nam vt termini mandatorum, quæ ſtricti juris eſſe perhibentur, migrentur, nullo modo expectandum. Sin aliam interponi contingat cauſſam, quo minus ad exitum res deducatur, tempore ſibi & nouis à Regina mandatis opus eſſe. Thuillerius maturando negotio valde intentus, Commiſſarios tanquam Reipublicæ ſuæ participes, nulla mora indigere, ad abſoluendam 21. Iunij.

negotiationem, contendebat; DEVMque & conſcientiam teſtabatur, ſua quidem operâ nihil poſſe vltra profici. Nec ſuſcepit, quamuis rogarent Sueci, perferenda ad Danos; quæ reſponſa erant. Tum Suecorum Commiſſarij, ad Reginam omnia ſe ſcripturos ſignificarunt: cumque deſperarent, plura conditionibus parari poſſe, interim literis conſignata miſerunt ad Thuillerium, quæ de nauigationis & commer-
24. *Iunij.* ciorum libertate diſceptata pridem fuerant. Quæ occaſio fuit, iterandæ diſputationis, de qui-
29. *Iunij.* busdam capitibus: donec Thuil-
& lerius literis poſtulauit, vt Com-
3. *Iulij.* miſſarij vtriusque partis apud limitem Brömſebroënſem congrederentur. Jbi, commeante inter partes vltro citroque Thuillerio de ſingulis actum: videbaturque
2. & 9. res ad exitum ſpectare in reliquis;
Iulij. de Bleckingia autem Hallandiæ jungenda, proferendoque ad an-

nos

nos quinquaginta aut sexaginta hypothecæ tempore, Thuillerius iterum appellare Danos rogatus, inuicem petijt, vt pactorum formulam in literas referrent Suecis; Danis idem facturis. Ea cum mitteretur ad Thuillerium, statim Danis tradita, eorumque instrumentum ad Suecos remissum est. Requisiuit Secretarius Suedicæ legationis, qui huius rei caussa Christianopolim venerat, quid sentiret Thuillerius de Hollandorum petitione, qui apud Suecos (sicut & ad Danos fecerant) Sequestrium elogio insigniri in pactionis instrumento desiderauerunt: quamuis partibus mixti, reconciliandæ pacis muneri publice, vt dictum est, renuntiassent. Tum vero Thuillerius, minime commissuros sperabat Suecos, vt Regis sui dignitas diminueretur, parte honoris in Hollandos deuoluta, cum labores ipse hactenus solus toleraſſet. 12. Iulij. 18. Iulij.

Satis esse illis debere, inquiens, quod sub felicibus Suecorum armis conditiones opimas acquisiuerint, ac citra omne periculum, sumtu quàm minimo tantos fructus decerpserint. Jteratis, apud Brömsebroam, partium congressibus, *Succos parum respondere instrumentum Danicum promissis per Sequestrem factis, conquerentes, Thuillerius comiter appellans, fateor, inquit, formulâ instrumenti Danici plus quadringentas controuersias contineri: sequemur omnino vestram scripturam; &, quod mea voce promiserunt Dani, vtique seruabunt. Jn eius deinde gratiam, Bleckingiâ, quam nullo pacto Dani dimittebant, præteritâ; etiam conditionem hypothecæ Hallandiæ appositam, vt commissa censeretur perpetuæq; possessioni mancipata, si promissis Dani non stetissent, remiserunt. cùm prius submonuissent, quam

19. & 21 Iulij.

non

non fuisset absurdum, si exemplo pactionis anni CIↃIↃCXIII voluissent vti, qua continebatur; si vel obulus abesset summa pecuniæ Danis pendenda, Elffsborgum commissum haberi oportere. A Danis vicissim concessum est, vt Herrendalia citra montes Noruegicos Jemtiæ contribueretur. De finibus Hallandiæ etiam dubitatum: Suecis ad veteres terminos prouinciam reuocantibus. Qui comprehendi hac pactione deberent, nominati Dux Holsatiæ, Comes Oldenburgicus, cum Ciuitatibus Hanseaticis. Nam Pomeranorum causa, cui præter Danos, Hollandorum etiam & Hanseaticorum æmulatio imminebat, fido Suecorum patrocinio, post multam disputationem, in Othonienſium pactorum jus restituta est. Quibus compositis (nam Regina Commissarios de voluntate sua certiores interea reddiderat) cum 21. Iulij.

& Sueci nouum pactionis instrumentum confeciſſent, & à Danis itidem pactionis formula cum literis ceſſionis, & hypothecæ, exhiberetur, vt inſpecta vtrinque omnia auctoritatem plena tandem conuentione nanciſcerentur; non parum negotij faceſſere, & tantum non pactioni intercedere cœpit cauſſa Archiepiſcopi Bremenſis. Mentionem eius rei jam pridem fecerat Legatus Gallicus, & poſtea ſæpius ſummo ſtudio cupiebat, pactione hac frui reſtitutum ſuæ ditioni Archiepiſcopum, Regis Daniæ Filium; cum diceret: pa-
„tris cauſſa bello petitum, quan-
„do pacem optabat, non poſſe re-
„linqui in periculo, ſalua reli-
„gione & fide. Fruſtra exem-
„plum Lubecenſis pactionis af-
„ferri, vbi Rex abdicauerit jura
„Filiorum; tum enim recepiſſe
„eum prouincias, nunc amitte-
„re. Nouum haud dubie bellum
immi-

„ imminere, si Rex militum co-
„ pias exauctoratas Filio traderet,
„ aliquid ausuro certe, aut Cæsa-
„ reis partibus accessuro. Quod
„ si belli Germanici ratio diuersum
„ suadeat, posse munimenta &
„ arces, Stadam, Buxtehudam,
„ Otterbergam retineri interim,
„ restituta cetera ditione Archie-
piscopali. Dani quoque, se bel-
lo malle inuolui, regno denique
excedere, quàm negligere hoc
negotium, acerrime professi,
Thuillerium perpulerant, vt Re-
gis Christianissimi nomine, in-
stantissime Suecos vrgeret. Id
quod etiam Hollandici Legati se-
dulo agebant. Sed quid agerent
Suecorum Commissarij in caussa,
quæ nec mandatis ipsorum con-
tinebatur, scriptis scilicet ante
occupatam à Kônigsmarckio di-
tionem Bremensis Archiepiscopi;
neque suaderi Reginæ probabili
consilio poterat? Non gesserat
se medium in hoc bello, sed ab

initio ſtatim Patrem, qua poterat opc, inprimis conductis militum cateruis ſubmittendis juuerat: partibus ſubinde aperte mixtus, ſummique ducis munere functus. Qui ad hunc modum ſe hactenus adhibuiſset, qui ad Archiepiſcopatum ratione Suecis parum probata peruenisſet, eius conditionem meliorem reddere, quàm eſt vllius in Germania Principis, vt nemini ſcilicet obſtrictus ageret, durum videbatur. Jam prouincias armis partas & præ ceteris Suecorum ſecuritati aduerſus vicinos inimicos idoneas, flagrante adhuc bello Germanico, dimittere, quo cum periculo coniunctum erat? Itane fructus harum regionum, ceu oſtenſa fortis fidelisque operæ præmia, ducibus bene meritis, bene defendendo parta merituris, eripi ſubito, æquum diceres? Hæc atque talia, aures Suecorum, flagitationibus totiens iteratis occludebant:

bant: vt nihil aliud posſent, quam ad Reginæ arbitrium, aut pacis Germanicæ negotiationem, rem totam reiicere. Missus jam erat Holmiam Nicolaus Brorsonius Rhulamb, qui Reginam consuleret: quum Thuillerius nouam petitionem orsus, postulauit, vt inducijs factis, negotium Bremense peculiari tractatu transigeretur; integra seruata Reginæ facultate vel probandi vel euertendi, quæ acta essent. At Succi, qui viderent, parum cum armorum suorum cursu conuenire inducias, aliud consilium subministrare cœperunt: si confecta interim pace Danicâ, Thuillerius Bremensem causſam posthæc apud Reginam ageret, ac forte eo rem deduceret, vt beneficij nomine à Regina Archiepiscopatum Princeps recipere posset. aliter quidem, quam ista conditione, quomodo impetrari queat, se non videre aiebant: haud defuturam de ce-

1. Aug.

2. Aug.

tero

tero ipsi suam opèram, significantes. Thuillerius tentatis nequicquam, quæ profutura sperauerat causſæ Bremensi, æger animi, ac mœstus, cum de via ad Hollandorum Legatos inuiseret, oleum sibi ac operam periisse, affirma-
4. Aug. uit. Denique congressis apud Brömsebroam partibus, acturum se cum Danis professus, vt Legatio ad Reginam mitteretur, beneficij nomine Archiepiscopatum Principi impetratura; Cancellarium Oxenstiernam spondere voluit, successum negotio non defuturum. Respondit Cancellarius operam se polliceri suam
7. Aug. posse, spondere non posse. Jta, cum denuo congressus partium celebraretur, hactenus conuentum est, vt Archiepiscopatus Bremensis, & Episcopatus Verdensis, quorum restitutio hactenus tanto molimine efflagitata erat, ad Reginæ arbitrium & peculiarem negotiationem differrentur, ipso Archic-

chiepiſcopo cum familia & patrimonio pacis huius beneficio interim gaudentibus. Nam quæ de neutris partibus, itemque de inſtrumentis chartarum, ac bonis mouentibus, Thuillerius poſtea conſignauerat, admitti non potuerunt. Quo facto, iterum Thuillerius inducias petijt. Jd quamuis Sueci ante non opinarentur fieri oportere, quàm pactis ſubſcripſiſſent partes, habere ſe tamen literas Regias ad Guſtauum Hornium terreſtribus copijs, & Ericum Rynningium claſſi præfectum de omittendo bello, oſtendebant, ſi Thuillerius fidem ſuam interponere paratus eſſet, de ſeruandis à Dano, quæ conuenerant. Jlle, poſtquam animaduertit, Suecos non inuitos id agere, vt fundendo ſanguine parceretur, Secretarium Jſraëlem Jſraëlis Lagerfeldium ſequi ſe juſſit, acceptorum à Danis fidem. Appellatis ea de re in tentorio Danis, egreſ-

egressus interrogauit Secretarium; an contenti essent Suecorum Commissarij, si de pertractatis fides daretur? Quod cum affirmasset, introductum, post salutationem, Cornificius Vlefeldius Gallice sic affatus est: Postquam „res eo deducta est, vt Suecorum „Commissarij, interposita fide „nostra, inducias armorum ve„lint admittere; itaque Regis „nostri nomine pollicemur, fi„demque ijs damus per æternam „nostratum animarum salutem, „nihil ex ijs, quæ inter nos opera „Sequestris transacta sunt, violatum iri. Simul his, dextram Thuillerio, & postea Secretario obtulit. Tum è vestigio Ducibus, vt hostilia fieri desinerent literis significatum, instrumentaque pactionis confecta sunt; quibus, præter ea, quæ de nauigationum & commerciorum libertate ac immunitate ante composita diximus, in hunc modum decretum est:

eſt: Reginam Sueciæ reddere Dano caſtella, vrbes, prouincias, cuncta denique hactenus armis occupata in Jutiâ, Scaniâ, Bleckingiâ, Bornholmiâ, Holſatiâ, Sleſuico, Ditmarſiâ, Stormariâ; nominatim Chriſtianpriſiam, Pinnebergam, cum munitione Neoſtadienſi, Helſingborgum, Landscronam, Engelholmiam, Selfsborgum, Hammershuſiam domosque nobilium munitas. Pro his locis impenſisque belli redimendis, Rex Daniæ perpetuo jure poſſidendas tradidit iſtas prouincias: Jemtiam cum Herredaliâ, citra Noruegiæ montes; Gothlandiam inſulam cum arce vrbeque Wisbyenſi, Oſiliam cum Arensburgo. Pignoris autem loco, & ad faciendam fidem ſeruatum iri, quæ conuenere, Danus totam Hallandiam, cum agris, vrbibus, arcibus, adeoque Halmſtadium, Laholmiam, Warbergam, Falckenbergam, Kongsbaiam

baiam, Suecis permiſit, ſuoque jure ceſſit in triginta annos, quibus expletis, vel idem pignus, vel æque probatum Suecis relinquetur. Tradendis in manum Suecorum Halmſtadio & Warbergæ dictus eſt dies ſextus decimus Septembris: quo eodem, Cronia & Helſingborgum Danis reddenda; Exercitusque Suecorum intra vigeſimum tertium Septembris intra fines Sueticos reducendus. Statim à traditis Halmſtadio & Warbergâ, Guſtauus Hornius mandabit ducibus & præfectis in Jutiâ Holſatiaque, vt copias inde deducant, cuſtoditis tamen munimentis & caſtellis, vſque ad Octobris menſis diem vltimum, quo reſtitui debent Danis Chriſtianpriſia, Pinneberga cum munitione Neoſtadienſi, & quidquid in Holſatiâ tenetur præſidijs, itemque Bornholmia & Hammershuſium. Idem diès in manum Suecorum tradet Jemtiam

cum

eum Herredaliâ, Osiliam cum Arensburgo; Gothlandiam cum Wisbya. Cetera quæ his pactionibus continentur vsitatam in componendis litibus armisque deponendis formulam sequuntur. Comprehendebantur autem pactione, Dux Holsatiæ Fridericus, qui misso vt diximus, ad Suecos Legato id petierat: & Comites Oldenburgici Gyntherus & Christianus: tum Civitates Hanseaticæ, quæ per legatos operam suam in concordiâ instaurandâ, repudiante Dano, obtulerant; insuper Gedanensis Respublica. Archiepiscopi Bremensis causſam ad Reginæ arbitrium & peculiarem pactionem seposita paulo ante memorauimus. Adve- 3. Aug.
nerat dies, qua instrumenta pactionis, cum literis reliquis, alteri alteris traderent; totique huic negotiationi exoptatum finem imponerent: quum præsto fuit Thuillerius apud tentorium Suecorum, & interrogauit, ipsiusne Sequestris an Secretariorum operâ commutari inter partes, quæ conuenerant, cuperent? Suecorum Commissarij, quanquam olim Secretarij id muneris obiuerant, Thuillerium tamen, cujus opera totum negotium confectum erat, vt hoc quoque prioribus curis adderet, non dubitabant rogare. Acceptum itaque Suecorum instrumentum, cum reliquis chartis, equo ad Danorum

norum tentorium vectus tradidit; atque eorum scripturam paulo post ad Suecos retulit. in qua erant aliqua animadversione digna, super quibus emendandis Israël Israëlis Lagerfeldius ad Danos commeauit. Thuillerio interim petenti nomine Danorum, exercitum Suedicum Holsatia Jutiaque abduci ante diem Septembris trigesimum, facile concessum est, quod pactis jam continebatur. sicut & illud: vt integrum esset Regi Daniæ, nauem Sophiam apud Gotheburgum freto demersam vel totam, vel partibus extrahere. In vicem promittebatur Suecis vsus portus Bokullensis apud Bleckingiam, exportando ferro, ligno, aliisque rebus. Compositis ergo, quæ negotium morari videbantur, Suecorum Commissarii inuocato Diuino Numine, cum Thuillerio, vt Hospiti, primum in subscribendo locum obtulissent, sua nomina apposuerunt. Inde ad Danos equo prouectus subscripto & ibi suo nomine, descendit ad locum inter duos pontes medium apud Brömsebroam. Statim missus ab vtraque parte Secretarius adfuere cum instrumento pactorum, & conuentorum exemplis. Thuillerius susceptum dextra manu Suedicum instrumentum transtulit in læuam; & deinde dextram, qua & instrumentum Danicum acceperat, decussatim læuæ imposuit,

posuit, atque illa quidem Secretario Suedico Israëli Israëlis scriptum Danicum, hac autem Secretario Danico Kragio Suedicum exemplum porrexit: depositoque Sequestris munere, apud Suecos, nunc se vt Fœderatum venire, professus est. Tum signo vtrimque tubis dato, Commissarij, & cum Suecis Thuillerius, ex tentoriis progressi eundem apud locum sibi inuicem occurrerunt; prioique Vlfeldius Pro-Rex Daniæ non porrecta dextera, in hunc modum orsus est: Post-
„ quam Divino auspicio pacem inter Da-
„ nos Suecosque ex discordia contigit in-
„ staurari, non possumus non laudibus
„ vehere Regem Christianissimum & Re-
„ ginam Galliæ, quorum non modo sin-
„ gulare in hoc negotio studium Legatus
„ Thuillerius significauit, sed omnem in
„ reconcilianda inter dissidentes concor-
„ dia diligentiam adhibuit. Cuius rei
„ memor Rex noster, Regibus quidem
„ sua studia, Legato beneuolentiam sem-
„ per conseruabit. De pactis conuentis,
„ quippe quæ scripto comprehensa sunt,
„ nihil attinet repetere. Illud vnum con-
„ firmamus: quæ hic conuenêre, ea Rex
„ Regnumque Daniæ rata habebit, serva-
„ bitq;. Neq; dubitamus Suecos idem fa-
„ cturos. audiuimus enim, pacis studiosum
„ esse Reginæ animum, quem DEVS illi

„ ſeruet. Vos quoq; ad eundem finem no-
„ biſcum ſedulo connitemini. Et quando-
„ quidem Rex Noſter Reginæ nondum
„ potuit gratulari ſuſceptam feliciter im-
„ perij adminiſtrationem, itaque nunc ex
„ animo precatur, vt Diuini nominis glo-
„ riam ſpectet regimen eius, multaque
„ meritorum celebritate illuſtretur. Hæc
„ in fidem amicitiæ dicta volumus accipi,
„ DEOque veſtram incolumitatem com-
„ mendantes, paratum ad officia animum
„ vobis pollicemur. Reſpondit Cancel-
larius Oxenſtierna, DEOque pacis in-
„ ſtauratoti gratijs actis, Regis & Reginæ
„ Galliæ ſtudium erga Septentrionis regna
„ ſingulare; tum dexteritatem, ſollerti-
„ am, induſtriam Legati Thuillerij im-
penſe prædicauit: præclare factum à Danis
autumans, quod omiſſa de diſſidiorum
cauſſis oratione, amicitia & officijs in po-
ſterum certandum ſtatuerent. futurum
enim vt Sueci minime vinci ſe ea in re
patiantur, confirmauit. denique inuicem
bene precatus, pacem æternam ad poſteros
perennare exoptauit. Porrectis deinde
dextris, ac perſalutatis comitibus, poſt fa-
miliaria & amica colloquia, reuerſi ad ſua
quisque tabernacula, læto agmine inter
gratulationes & vota, pacis firmatæ nun-
tios ad exercitus & prouincias dimiſerunt.
Eodem die etiam Hollandici Legati ſuam
con-

controuerſiam de nauigationibus Oreſunticis & Noruegicis cum Danis compoſuerant. Poſtridie quædam conuenta, ſed formula pactionis non comprehenſa, cœperunt perfici. Dani enim emendationem ſcripturæ primario inſtrumento adjunctæ, vt & literas de portu Bokullenſi, polliciti erant. Igitur Thuillerius attulit Suecis, & correctum exemplar prioris ſcripti & literas Cornificij Vlfeldij nomine ſignatas, quibus Bleckingiæ præfecti jubebantur, liberum Suecis præſtare è portu Bokullenſi ferri facti infectique nec non lignorũ exportationem. qua de re vt pleniori auctoritate Suecis proſpiceretur, deinde poſtulatum eſt. Suecorum interea Commiſſarij ſubſignatas ſuis nominibus literas remittebant, quibus eleuandæ è fundo freti Gotheburgenſis nauis Sophiæ facultas Danis concedebatur. Quibus peractis valedixit Suecis Thuillerius, maximam & prudentiæ & induſtriæ laudem apud omnes conſecutus, quando interpres & actor totius negotij etiam cum collegas Sequeſtres haberet, poſtea ſolus, nihil omiſit, quod temperandis permouendisque animis excogitari poteſt. Dimiſſi ſunt poſt hæc Legati Ducis Holſatiæ & Hanſeaticarum Civitatum, cum literis. Et ab Hanſeatico quidem corpore aderant Johannes Marquardus, Albertus Backenius, 14. Aug.

Hieronymus Frisenius, Iohannes Hauelandius, quibus, testimonium fidelitatis ac industriè obitæ legationis Sueci exhibuerunt, eademque opera „declararunt: Reginæ & sibi, tum alias tum in „hac negotiatione pacis nihil antiquius fuisse, „quàm vt commerciis & nauigationi impertur- „bata libertas constaret, pactisque horum Re- „gnorum Hanseatici gauderent. id si minus, „quam optabant, successisset, non Reginæ, quæ „aliorum commoda suis æquauit, sed iniquitati „temporum ac seiunctioni consiliorum tribui „oportere; quando non potuit reperiri, qui in „communi caussa, pericula cum Suecis & consi- „lia communicare, commodum sibi duceret, „quo factum esse, vt aliorum caussam agentibus, „haud raro exprobraretur, quidni contenti essent, „si Reginæ satisfieret? Hamburgensibus scor- sum in eandem fere sententiam scriptum. Legati autem Suecorum, conficiendo fœdere Belgico, de quo totiens hactenus mentio illata, dehinc occu- pabantur In quo negotio, primum, fœdus quin- 1640. quennio ante Holmiæ ictum, de integro repeti- tum atque confirmatum est: deinde, ad pacta, quæ Brömsebroæ, & Christianopoli cum Sue- cis & Fœderatis Belgij Ordinibus Dani nunc fe- cerant, ita accommodabatur; vt alteri fœderato- rum alteris, si quid à Danis daretur damni, aut violarentur, quæ conuenerant, auxilio esse tene- rentur, ad eum modum, qui priori fœdere perscri- ptus erat: denique tempus fœderis ab hoc die, in quadraginta annos insequentes porrectum est: ad- 6. Aug. iectis scilicet triginta annis, illis decem, qui de 1645. quindecim ab initio constitutis supererant. Qui- bus peractis, antequam ipsi domum proficisce- rentur Suedici Legati, Secretarium certis manda- tis instructum præmiserunt. Tertio Septembris die ipse Cancellarius Axelius Oxenstierna Holmi- am redijt, multo gratulantium atque gaudenti-

um studio exceptus. quantum enim pro salute, dignitate, & incrementis patriæ, hac quoque legatione conniſus eſſet Vir attollendæ reipublicæ natus factusque, in omnium oculis animisque erat. Reginæ inprimis cordi fuit, in memoriam redire maximorum meritorum, quibus Heros ille, ex quo ab alijs propoſitis ſingulari fato ad rempublicam vocatus, ſub auo quidem paterno, Carolo IX. Rege, Senatoriæ dignationis decus juuenta ætate meruerat, ab incomparabili parente Guſtauo Adolpho Magno Cancellarij munus, ſecretorum omnium arbiter ac particeps, accèperat; ſummisque conſilijs & operibus, nunquam non deſiderato obſequio, opera, prudentia reſponderat. Belli pacisque negotijs, indiuiduum comitem, Rex auguſtiſſimus habuerat. Poſt fata tanti victoris, dici non poteſt, quantam in Germania rerum molem ſuſtinuerit, quas difficultates profligauerit, quæ fortunæ publicæ intertrimenta explicauerit. Vnum dixiſſe, ſatis erit. non alibi forte magis arduum eſt rem gerere publicam, quam in Germania; neque vllo tempore Germania intractabilior fuit, quàm, cum veriſſimam profundæ felicisque ſapientiæ laudem foris domique adeptus eſt Cancellarius. Quæ tum Regina ſolenni procerum congreſſu facunde commemorans, Comitis dignationem & titulos, tam ſplendide de re Sueca merito, contulit: multum ſibi multum patriæ de magno felicitatis publicæ adminiſtro gratulata. Cui cum gratias ageret ille, non aliam ſepulcro ſuo inſcriptionem, quàm hoc Regium judicium ac teſtimonium, optauit. Remiſſus mox ad limites Secretarius cum pactis Regia manu firmatis, & literis Hallandiæ reſtitutionem, ſi conditio impleta eſſet pollicentibus, in via Turoni Sparrio ſe adiunxit. Ita enim conuenerat, vt Senator Regni cum Secretario, ab vtraque parte, die Septembris tertio decimo permutarent literas

teras pactionis. Eo die mane à Dania Nicolaus Trollius, cum Secretario Kragio occurrerunt Suecis apud Markarydum inter Kööphultum & Oxnehultum; quo loco ante aliquot annos Petrum Sparrium ad nuptias Principis missum Dani exceperant. Cum ergo Sueci, quas dixi literas, & in vicem Dani suas, de ratis habendis, quæ conuenerant, de cessis jure perpetuo, de constituta hypotheca, alteri alteris tradidissent, illi quidem Kööphultum, hi autem Oxnehultum digressi, ad inspiciendam scripturam, horâ tertia post meridiem, denuo congressi, emendatis quæ reperta erant, post salutationes & vota, ad suos redierunt. Laholmiam & Halmstadium cum cetera Hallandia Gustauus Hornius sacramento Reginæ adegit: Warbergam cum ditione subiecta Laurentius Kaggius. qui Westro-Gothiam hactenus, vt demonstratum est, defenderat, & in Noruegos militiam transtulerat, & in ipso limine nobilis victoriæ stabat, cum nuntius pacis impetum eius frenauit. Aegrum plerumque ex vulneribus olim acceptis corpus toto hoc tempore inusitato animi robore ad munia belli indurauerat. magnam apud Germanos militarem famam inprimis defensa diu aduersus immanes hostium insultus & inaudita molimina, Ratisbona, viro circumdedit.
1634. domi Senatorium locum & alia virtutis præmia consecutus, inter clara Regni nomina splendet. Ceterum perfecta Danica pace, locisque, quo tempore conuenerat, traditis & receptis, spatium deinde Suecis fuit difficillimum pacis Germanicæ negotium, intentiore cura inter armorum felicium successus, elaborandi.

FINIS.